

APOCALYPSIS ASCETICA

SEU

EXERCITIA S. P. IGNATII

Quatuor hebdomadarum,
Visionibus aliisq; Sacræ Scripturæ Locis,
Potissimum Propheticis,
Tum Variis inde Reflexionibus
Practicis,
ILLUSTRATA
Ad usumq; meditantium, Exhortatorum,
nec non Concionatorum

à P. Stephano Poninski Societatis JESU.

PROPOSITA



POSNANIÆ
Typis Clari Coll: Societatis JESU. Anno Domini. 1721.

Effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. *Joel: 2.*

INTIMO MYSTERIORUM DEI
è Sublimi Perfectionis gradu & Sanctitatis
Culmine
Contemplatori
Cui Revelata sunt Arcana Cælestia:
Mentis Semper ad DEUM Elevatæ
summæ Perfectionis
D E I S E R V O
Celestium Complexo Gratiarum
& donorum.
Sui Patris & Magistrî in Spiritu
I G N A T I I
DILECTO FILIO & DISCIPULO
Divinissimo Jndiarum APOSTOLO
F R A N C I S C O
X A V E R I O
Societatis JESU
APOCALYPSIM ASCETICAM,
Inter Orientis Pretia,
è Thesauro Ignatii grande pretium,
Vile Auctoris Nomine opus consecrat;
Genuinæ PATRIS Imagini
Derivatam ab IGNATIO Exercitiorum lucē,

ab Auctore calamo, & Typi ſepia
umbram appingit;
Non levi brachio Æthiopum
& univerſorum ſalutis bajulo
grande Methodo Fundatoris ſui Munus,
leve ſcriptoris tenuitate opuſculum apponit;
ÆTNÆ intra præcordia amore Divino
æſtuanti Igniti PATRIS ſcintillam
cum niveo devotiſſimi affectûs candore
ingerit;
Thaumaturgo Orbis utriuſq; APOSTOLO
Vniverſæ Sanctitatis PRODIGIO,
Orbis miracula & admirationem laboribus
ſuperanti
Prodigioſum in admirabili Exercitiorũ libro
inventum,
obvium labore & ſtylo Auctoris
Volumen,
Vniverſa Meditationum Puncta
in Punctum
Honoris Apoſtolici devovet;
Et Plantis
Quibus uterquè orbis ſupplex eſt
Unà ſecum acclinat & adſternit.

Devotiſſimus cliens & Servus S. P. S. J.



APPROBATIO
Loci Ordinarij

IMPRIMATUR

FRANCISCUS LESZCZYC
MIERZEWSKI
Gnesnensis Scholasticus, Archidiaconus Sremensis, Officialis Generalis Posnan.



FACULTAS
R. P. STEPHANI
SCZANIECKI
PRÆPOSITI PROVINCIALIS
Soc: JESU.
per
POLONIAM

CUm Opus, quod inſcribitur: *Apocalipſis Aſcetica ſeu Exercitia S. P. Ignatii 4. hebdomadarum à P. STEPHANO PONINSKI Soc: JESU Conſcriptum* Aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi factâ ab A. R. P. Noſtro MICHAELE ANGELO TAMBURINO, Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas manu meâ firmatas & ſigillo munitas dedi. *Poſnaniæ 15. Julii* 1720.

STEPHANUS SCZANIECKI.

MEDI-

MEDITATIO I.

Præparatoria ad exercitia.



Undamentum Erit illa viſio Ezechielis, tum S. Joannis Apoſtoli: in qua librum ab Angelo ſibi porrectum abſumere juſſi. *Accipe* (inquit Angelus ad Joannem) *& devora librum. Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum devoraſſem eúm, amaricatus eſt venter meus: & dixit mihi: oportet te prophetare gentibus & populis & linguis & regibus multis.* Per hunc autem librum Cornelius à lap: intelligit Apocalypſim Joannis. *Ezech 2. Apoc: 10.*

Prælud. 1. Hæc eadem viſio in imaginatione figenda.

Prælud. 2. Imaginare S. Patrem Ignatium libri exercitiorum Inventorem ſeu Angelum Cuſtodem, eundem librum exercitiorum tibi ad manus porrigentem cum ſimili allocutione: *Accipe & devora librum.*

Prælud. 3 Pete gratiam ut cum guſtu ſpeciali fructuq; non pœnitendo huic epulo planè Angelico accumbas, eademq; exercitia ſpiritualia, dignè & ad guſtum ipſius Sanctiſſimæ Triadis ac Solatium Curiæ cæleſtis peragas.

PUNCTUM I.

COnſidera illicia & motiva ad alacriter & magno animo inchoanda & peragenda hæc exercitia.

Motiva magno animo ac sedulo inchoandi & obeundi exercitia.

1mò Quia hoc epulum ac deliciæ spirituales à Deo ex speciali erga te & Societatem, tam erga aliorum quorumcunq; salutem affectu tibi provisæ, de cælo planè demissæ: scimus enim circa eadem exercitia Sanctum Ignatium infusâ sapientiâ laborasse: non aliter quam apes desudant circa materiam mellis cum rore matutino de Cælo deciduam.

2dò Quia idem cæleste epulum de manibus sive Sancti Ignatii velut fortis Angeli terram ac mare calcantis siue S. Angeli Custodis plusquam ex paterna circa te, tuamq; animā & profectum tuum spiritualem solicitudine & studio adinventū tibiq, ad manus porrectū, inprimisq; ex tot veluti flosculis nempe ex mysteriis vitæ Christi qui flos Nazareus est, tum & aliis meditandi materiis collectum. Quomodo illud dignè non æstimabis?

3tiò Quia idem tanquam mel dulce: Scilicet ad omnes virtutes, multo magis amaritudines & cruces vitæ religiosæ & cujuscunq; efficaciter dulcorādas condiēdasq; opportunissimū condimentū Insuperq; tot gratiis & donis divinis tot solatiis ac deliciis spiritualibus refertum, quibus illi abundantissimè perfruuntur, qui seriam ac sedulam his exercitiis navant operam. Quis scit: an non etiam propter te speciales aliquas gratias & dona pro tota vita sive religiosa sive quacunq; etiam ac æternitate tibi profutura præsentibus Recollectionibus, Deus alligaverit? Si ea accuratè ut par est peragere volueris.

4tò. Quia idipsum Angelicum convivium est specialiter animam nutriens, corroborans, collapsum Spiritum restaurans, restauratum conservans. Et quia liber est: Excitans memoriam, docens ac illuminans intellectum, accendens voluntatem. Estq; præterea efficacissimum & unicè ad omnes morbos & defectus animæ religiosæ ac etiam cujuscunq; inventum ac provisum remedium. Vide an non etiam tibi hoc remedio ad similia præcipuè ad restaurandum Spiritum opus est? Simulq; adver-

adverte non deesse huic melli aculeos, qui se tuo cordi & conscientiæ infigant, eamq; salubriter pungant & compungant; proinde illos accuratè observa ac recipe.

5tò. Quia non ab uno Joanne aut Ezechiele, sed à tot viris Sanctissimis magno animarum suarum emolumento degustatum, tot experientiis probatum, tot utilitatibus spiritualibus commendatum, totius orbis utilitate & encomio celebratissimum. Tune solus, à tot tuis Patribus fratribusq; aliisq; quibuscunq; antecedaneis cujuscunq; status hac in parte voles esse degener?

6tò. Quia Sacratissimò ipsius DEI gustui apprimè suave deliciosum ac delectabile. Num tantillam etiam, eidem Deo tuo invidebis portionem?

7mò. Quia totum cælum ac totus infernus præstolabitur arrectus, quomodo hæc exercitia, quo gustu, quo Spiritus tui alimento peragere studueris? Ergone inferno potius ejusq; malis geniis, quam Cælo ac cælitibus præstabis solatium, teq; ipsum acerba orexi torquebis?

PUNCTUM II.

Reflexiones practicæ circa eadem exercitia & initia eorundem.

CONsidera 1mò. Idem tibi dici accedenti ad hæc exercitia quod Joanni dictum: *Accipe & devora librum.* Nec id frustra: nempe ut non satis tibi sit libellum exercitiorum quomodocunq; evolvere, legere, degustare, meditari; Sed etiam sit necesse, ut illum quodammodo devores integrum, sine ulla residua particula absumas, in tuam Substantiam convertas, eo Spiritu, qui hoc libello inclusus est, vivas & spires. Quod enim edimus hoc ructamus. Adeoq; expende his verbis expressam esse diligentiam ac sedulitatem, qua tibi præsentia exercitia obeunda sunt. Nempe sicut dum mensæ accumbimus, omnes alias occupationes procul à nobis seponimus, uni

esui ac refectioni intenti; ita planè præsenti Recollectioni incumbendum; Semotis videlicet omnibus aliis curis & solicitudinibus. Huc Spectat: quod hic Apocalypticus liber saporem mellis, quod à laboriosis sedulisque apibus effingitur habuerit: cum & liber exercitiorum multo labore ac sedulitate egeat, ut nobis dulciores melle, spirituales fructus propinet. Nisi inter fucos potius alieni laboris fures quàm inter legitimas apes numerari velis. Ut melle cælesti fruaris, aut operosa apis, aut Samson leonum id est passionum ac tui ipsius domitor esto. Et quia ordinata in melle effingendo apum Respublica, ideo & hic non postrema ordinis ac distributionis temporis pro tota die cura habenda est.

Considera 2dò. expressum hic esse modum utendi hisce exercitiis: Sicuti enim dum cibum sumimus: non integra simul frusta voramus, sed in partes minores dividimus, masticamus ruminamus: & quidem non nimis properanter, id enim sanitati obest, sed paulatim & quandoq; pausando. Ita modus similis in usu exercitiorum servandus; singula scilicet puncta ac veritates quodammodo masticando perpendendo penetrandoq; intimius, ac in *illis* perpendendis non properando sed subsistendo tantisper.

Considera 3tiò. Quod sicut liber à Joanne absumptus fecerat amaricari ventrem ejus: idem omnino de hoc exercitiorum libro intelligendum: nempe quod ventri, id est inferiori parti hominis sensualitati, terreno appetitui, mundanæ vanitati deditis, nimis ingratus onerosus & amarus sit. Unde adverte, omnes tibi hujus amaritudinis materias & occasiones amovendas, omnes Sensualitates, appetitus ad terrena & mundana, præsertim ad conversationes & colloquia, omnes curiositates, & quidquid illud esse potest, quod tibi amaritudinem tædium in his recollectionibus causare queat. Et quoniam apes dum dulcia mellis bellaria præparant, in abscon-

ditas

ditas ſecretaſq; cellulas ſe recludunt, ideo & tibi ſub tempus exercitiorum ſpecialem cellæ ac ſolitudinis procul omni turba & converſatione, amorem habendum eſſe. Curandumq; præterea; ut eum effectum & fructum hæc ipſa exercitia in tua anima præſtent, ut per ea tibi omnia terrena Senſulia delectabilia amareſcant.

Conſidera 4tò. Quod Angelus Divo Joanni librum præfatum porrigens magna voce ibidem exclamaverit: *Tempus non erit amplius.* Cogitaq; idem tibi intimari: nempe quod forte ultimum hoc ſit tuæ ſalutis remedium; cui alligatæ ſunt gratiæ efficaces, & gratia illa ſine qua ſalvari non poſſis. Item quod ultima forſitan ſint hæc exercitia: quis enim novit an ad alia ſupervicturus ſis? ut non ſit futurum tempus amplius; quod tibi ad promerendam efficaciter ſalutem & gloriam æternam, ad præparationem pro ingruente morte faciendam, commodè ſuppetat. Statue igitur ita præſentes recollectiones obire, ut poſt illas paratus ſis illico mori, ac proinde eò omnia dirige, ut in his collectionibus & per illas ad mortem te ſufficienter præpares, ac ſi poſt eaſdem nulla tibi alia ſupereſſet actio

PUNCTUM III.

Motivum ſpeciale ex parte aliorum.

COnſidera idem tibi dici quod Ezechieli & Joanni dum ſumeret librum præfatum de manu Angeli: *Oportet te prophetare gentibus & populis & linguis & Regibus multis.* Indeq; tibi præcipuum incitamentum ad ſedulo peragenda exercitia præſentia aſſume: Nempe ut in illis non ſolum tui privati profectûs ſpiritualis ac ſalutis æternæ reſpectum præ oculis habeas. Sed etiam tot animarum, ad quarum obſequium te Deus vocavit & elegit. Utiq; enim nec apes ſuo privato commodo ſed magis

alieno

alieno usui & bono mellificant juxta illud : *Sic vos non vobis mellificatis apes.* Ac proinde cogita expectare à te, ut hæc eadem exercitia accuratè obeas non solum Deum non solum S. Patrem Ignatium non solum Societatem aut Religionem & statum quemcunq; curæ salutis animarum deputatum, sed etiam orbem pæne totum, tot animas in infidelitate in hæresi, in cæno peccatorum demersas, ad quas iuvandas, melleq; salutifero pascendas in his te collectionibus serio accingas, diligenter præpares, digno Religione & statu tuo, eoq; plusquam melleo ad quem omnes undiq; velut ad mel apes convolent, Spiritu imbuas : ad quævis prospera & adversa obfirmes & obarmes necesse est. Quodsi neglexeris, de manu tua tantam jacturam Deus judex suo tempore requiret, nec tibi erit residuus ullus excusationis locus.

Colloquium : Gratias age Divinæ liberalitati ac Providentiæ pro tam singulari epulo ac remedio. Deprecare Divinam Bonitatem, quod illo & tot aliis ad profectum spiritualem & Salutem æternam mediis negligenter & perfunctoriè usus sis. Pete à Christo Domino, Beatissima Parente, S. Angelo Custode aliisq; SS. Patronis, ut suam benedictionem & patrocinium pro his exercitiis tibi impartiri dignentur. Fac intentiones universales, & particulares, item proposita Recollectionibus congrua ; Patronos speciales pro iisdem elige. Indulgentias illis alligatas consequi velis.

MEDITATIO II.

Præparatoria item ad exercitia.

FUndamentum Gen: 2. Ubi *immisit Dominus Deus soporem* (alii legunt *Extasim*) *in Adam* : cumque obdormisset, *tulit unam de costis ejus & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam &c.*

Præ-

Præliud: 1. Statue tibi ante oculos mentis Adamum in Sopore illo, de quo liber Genesis, seu (ut alii volunt, in *extasi* constitutum, tum ea ipsa quæ tunc cum illo & circa illum acta.

Prælud: 2. Iterum tibi Statue S. Patrem Ignatium in secessu Manresano in extasim raptum, ibiq; eximiis à Deo illustrationibus circumfusum.

Prælud: 3. Pete gratiam similes tempore exercitiorum spiritualium illustrationes in ordine ad profectum spiritualem tibi necessarias percipiendi.

PUNCTUM I.

COnsidera ex una parte extasim Primi Parentis generis humani: in qua quasnam visiones ac illustrationes habuerit? Videre est apud Auctores. Præterea quomodo inde nobilissimum illud ædificium de latere Adami sumptum consurrexerit: *ædificavit* (inquit scriptura) *Dominus Deus costam &c.* Quod etiam Typus & figura fuit tum Christi, tum Ecclesiæ de ejusdem Christi in Cruce pendentis, lanceâ transfixô latere prodeuntis & quodammodo progenitæ. *Comparatio Extasis Adæ & Extasis S. Patris.*

Ex altera parte Extasim Sancti Patris Ignatii in secessu Manresano Ubi quantis à Deo visionibus ac illustrationibus recreatus fuerit? patet ex ejus vita. Adeo ut ipsemet dicere solitus sit: *Si Sacræ literæ non extarent, se tamen pro fide mori paratum: ex iis solum quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus* Quo tempore (ut legitur in Breviario) *homo literarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio & omnium utilitate comprobatũ.* Et hoc est insignissimũ ac solidissimũ ædificiũ planè de corde S: Spiritu plenissimo sumptũ atq; in *adjutorium* spirituale tot animarum excogitatũ, quod in præfata extasi ac secessu Mãresano consurrexit. Sicut Ecclesia quoq; ex latere & cor-

de Christi prodiit. Vide ut illud tanti æstimes quanti æstimandum est. Vide præterea quantum hoc tam efficaci adjutorio ad restaurandum collapsum sive religiositatis sive virtutis Christianæ ædificium indigeas? reflectendo te ad ruinas ejus in particulari.

PUNCIUM II.

Extasis Exercitia spiritualia obeuntium.

COnsidera: te quoq;, ut rectè peragas exercitia spiritualia, collapsam Religiosæ seu Christianæ virtutis structuram instaures, in quandam extasim, aut similem Adamo soporem rapi debere: sicut enim homo in Extasim raptus, aut somno consopitus, totus intra se est, totus quo ad omnia compositus & collectus, totus in Deo fixus, abq; ullo, quo ad exteriora sensu, & appetitu; ita ut oculos habens nihil videat, aures habens non audiat &c. Totus insuper ab omni consortio humano mundanoq; semotus, ab omnibus curis, negotiis alienus, totus in omni quiete ac tranquillitate constitutus &c. Ita pariter religiosus imò quicunq; alius in exercitiis spiritualibus, velut in somno aut extasi se gerere debet. Et quia somnus est frater mortis: ideo iisdem exercitiis idem Religiosus aut alius quicunq; quantum fieri potest similem se mortuo quo ad omnia exhibeat.

Perpende hæc & alia sive somni sive extasis adjuncta, eaq; intemetipso exprimere stude. Quo verò ea studiosiùs expresseris, eò nobilius ac solidius ædificium spiritule construes ac perficies.

PUNCTUM III.

Eorundem visiones.

COnsidera: quas potissimum visiones ac illustrationes in hac tua extasi habiturus es? Utinam vero Similes iis visionibus ac illustrationibus, quas S. Pater Ignatius in Manresano secessu habuit.

Reflecte te imprimis supra materias Exercitiorum Spiritualium, primæ secundæ, tertiæ & quartæ hebdomadæ; Quantæ ibi visiones tibi occurrent? Finis tui supremi; peccati, mortis, Judicii, inferni. Tum Christi ipsius totque mysteriorum vitæ passionis &c. ejusdem. Tum non paucæ aliæ.

Inter autem illas præcipua visio est agnitio tui ipsius; idq; quo ad præteritum, præsentem, & futurum statum, nempe qualis fueris, qualis sis in præsens, & qualis sis futurus in vita, morte ac æternitate? Qualis inquam inprimis quo ad peccata, defectus, commissiones, omissiones, eorumq; emendationem, satisfactionem in futurum: 2do Quo ad transgressiones ac observantiam mandatorum Dei, instituti, Regularum, Votorũ, Consuetudinum Religiosarum, sive piarum quarumcunq; : 3tiò Quo ad rectitudinem ordinem, perfectionem actionum, intentionum, negotiorum functionum, devotionum privaterum: 4tò. Quoad augmentum meritorum ac virtutum. 5to. Quoad primævum Spiritum ejusq; restaurationem. 6to. Quoad mortificationem internam passionum, habituum, &c: & mortificationem externam. 7mò. Quoad præparationem tui ad quævis imminentia & mortem ipsam.

In quibus visionibus si ut par est versatus fueris, multas Sanctorum extases non æquabis tantum, sed etiam superabis. Accinge te ad easdem, nec oculos carneos sed oculos mentis: Memoriam scilicet, intellectum, voluntatem & cor tuum ad illas præpara.

Et quia in Extasibus Trias SSma, Christus, Beatissima Parens, Angeli, Sanctiq; comprehensores, Hominibus justis loqui consuevêre: ideo tu quoq; in Colloquio, agnitâ inprimis ac proclamatâ tuâ indignitate: Eidem SSmæ Triadi, Christo, Beatissimæ Parenti Sanctis, Angelis præsertim Tutelaribus, aliisq; supplica, ut tibi per id tempus Exercitiorum ad cor loquantur verba salutis, ea præcipue

cipuè quæ tibi maximè ad profectum spiritualem viderint necessaria: *Loquere Domine quia audit servus tuus.*

MEDITATIO III.

De Creatione & fine Hominis.

Gen: 28. FUndamentum Erit Visio Jacobi Patriarchæ? qua *vidit scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoq; ascendentes & descendentes per eam: Dominum innixum scalæ.*

Prælud: 1. Imaginaberis tibi eandem scalam: Angelosq; ascendentes per eam ad Dominum cæli & terræ supremum tanquam ad finem suum ultimum.

Prælud: 2. Petes gratiam agnoscendi hujus tui finis, & mediorum ad eundem, tendendiq; rectà ad ipsum.

PUNCTUM I.

Excellentia finis nostri & motiva tendendi ad illum.

COnsidera in hac scala Jacob, & visione illius adumbrari tibi imprimis finem ultimum ad quem omnino tendere debes, scilicet Dominum Deum stantem in sūmitate ac vertice scalæ (ut pleriq; volunt) eiq; innixum: à quo idcirco creatus es, ut ad eum continuò tendas & ascendas, ei servias, eum laudes, & tandem salvus fias, ad Deumq; tuum pervenias.

Hinc primò agnosce excellentiam hujus finis. Nempe quod tibi cum Angelis per eandem scalam ascendentibus sit communis. Agnosce exinde tuam felicitatem ac dignationem. Agnosce divinam super te bonitatem.

Simulq; ex his ipsis S. Patris verbis: *Creatus est homo* obligationes & motiva expende unicè tendendi ad

tuum

tuum finem in ea ſcala tibi propoſitum. Quid enim eſt imprimis te creatum eſſe, quam de nihilo ſumptum ac in theatrum Entium exiſtentium eductum, ſimulq; in communi cum Angelis ſcala collocatum: cum te Deus in eodem nihilo extra tam felicem ſcalam relinquere potuiſſet. Non reliquit tamen, quamvis nullo tuo merito, imo prævifis tot demeritis, relictisq; in eadem nihili ſui conditione innumeris aliis; quos ſi produxiſſet, longè illi rectius per eandem ſcalam inceſſiſſent, longe exactius, ferventius, viam mandatorum DEI ac ſanctimoniæ decurriſſent, tum etiam longè illos DEUS gratiores ſibi pro tanto beneficio habuiſſet.

Jam in hac voce: *Homo* quot DEI dona & data, adeoq; obligationes ei ſerviendi expreſſæ? Intuere conſtitutiva hominis, Corpus tuum & animam. Quo ad animam? hanc tibi Deus contulit immortalem cum inſignibus & præſtantiſſimis tribus potentiis, Memoriâ, Intellectu & Voluntate. Quo ad corpus? Hoc etiam tibi providit integris omnibus ſenſibus, omnibus membris proportionatum non monſtroſum, ſanum, ad omnes homini convenientes functiones idoneum. Quam igitur gratus eſſe debes Plaſmatori tuo, quod te talem creaverit, quod non in utero Matris extingui fecerit ante vel poſt infuſionem animæ rationalis. Inſuper quod te ex parentibus Chriſtianis Catholicis naſci voluerit, quod in medio Catholicorum, non intra profundam hæreſim, ſchiſma, barbariem, non inter Turcas, Indos, Iapones. Quod non alio tempore vg: ante diluvium, dum omnis caro corruperat viam ſuam, vel temporibus Antichriſti &c. Tandem quot aliæ obligationes ratione Redemptionis, electionis ad gloriam æternam, vocationis ad fidem, ad Religionem &c.

Perpende iſta omnia, & in amorem laudemq; tui Creatoris exardeſce.

PUNCTUM II.

Media tendē-di ad finē ultimum: eūq; possidendi.

CONsidera per gradus & lineas hujus scalæ juxta SS. Pres intelligi media ad prædictum finem. Et hæc sunt multiplicia ac innumera: scilicet naturalia & supernaturalia.

Naturalia primo sunt: Omnes res creatæ, Cælum & terra, & quæ in eis sunt. Percurre singula consideratione, & expende quomodo hæc omnia juvare te possint ac debeant ad finem tuum. 2dò Bona corporis & animæ. Percurre hæc eadem ipsa, omnes sensus, potentias, facultates, affectiones, talenta, & expende pariter quomodo illis tanquam mediis ad laudem DEI utaris? Huc pertinent bona fortunæ, prospera & adversa, fama præsertim & infamia; quæ similiter percurrenda. Intuere, quomodo tibi ad ultimum finem consequendum subserviant & conducant. Expende præterea, multos esse qui serviunt Deo Corpore Anima &c. paucos admodum, qui famâ suâ vel infamiâ servire velint.

Jam iterum media supernaturalia quot & quanta? Nempe ipse Christus Redemptor ac mediator noster, eius vita, doctrina, exempla, Passio: Tum Pretiosissima Parens Mediartix & advocata nostra, Eiusq; vita Sanctissima.

Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, eorumq; innumera exempla: ac ipsi etiam adhuc tibi in hoc mundo conviventes insigni probitate conspicui homines fratresq; tui. En quot quantiq; ad finem tuum gradus! Vide igitur quomodo illos decurreris, quem fructum, quemve stimulum ex his omnibus ad laudem, & obsequium DEI tui capere consveveris? Huc spectant Præcepta, Consilia Evangelica, Sacramenta, præsertim Eucharistiæ & Pœnitentiæ, Habitus & dona supernaturalia in Baptismo infusa, Fides, spes, Charitas, cum tot aliis donis. Ac præcipuè gratia Sanctificans: Nec non aliæ

aliæ tot tantæq; gratiæ excitantes, adjuvantes &c. illuminationes, inspirationes, & instinctus interni.

Admirare, obstupesce super tot gradus & media tibi provisa. Confundere quod illis non tam ad Numinis laudem & gloriam quam potius ad ejus offensam tuamq; damnationem hactenus usus fueris, tam ignavè, segniter, retrogradè, perversé, illos decurrens. Gratias age Divinæ Bonitati, quod te interea in ea scala sustinuerit, nec cum reprobis Angelis ex ea detruserit uti merebaris. Propone aliter te abhinc incessurum aliterq; his usurum gradibus & mediis.

PUNCTUM III.

Forma tibi aliquas Reflexiones practicas circa finem prædictum & media.

Reflexiones practicæ circa finẽ ultimum & ejus media.

1mò. Quam stultum est, quamve periculosum in rebus creatis spem & quietem ponere. Quæ enim quies, quæ commoditas gradibus scalæ incumbere: imò quæ securitas. Terrena namq; omnia gradus sunt & quidem admodum lubrici, non curules, non sellæ, non cubilia, non culcitræ; quis igitur in his quietem ac securitatem collocet, quis non serio vigilet, quis indormiat? Jam quanta amẽtia est, res creatas pro fine sibi statuere? Quis namq; hunc vel illum gradum scalæ ascendens, existimaret se finem & metam attigisse?

Secundò ex eo, quod gradus hujus prædictæ scalæ sint eædem res creatæ: hanc tibi poteris formare reflexionem: Non aliter per hos gradus perveniri posse ad finem, quàm si in eis pedes figantur, non caput, non pectus non cor, non oculi: calcari, despici, contemni debent, si gradus sunt, si per illos ad finem tuum devenire intendis. In hoc plane visus erravisse Psaltes dum conquestus est: *Adhæsit pavimento anima mea.*

Ter-

Tertiò ex eo: quod Angeli etsi aliis instructi, etsi puri Spiritus, non volatu tamen, sed per gradus ascendunt; adeoq; & tu considera, te quoq; non simul, non uno quasi volatu, non repente sed gradatim debere progredi & ascendere, ut sanctus perfectusq; evadas, tandemq; finem ultimum capias & possideas.

Quartò ex eo, quod in Summitate scalæ Dominus quiescere visus; expende quietem veram, neq; infra, neq; in medio, sed nonnisi emensâ totâ scalâ, superatis & calcatis omnibus terrenis reperiri: Nulla quies in divitiis, nulla in voluptatibus & commodis, nulla in sensualibus, nulla in hac vita, sed nonnisi emenso hujus vitæ & scalæ spatio, nonnisi post mortem, aut si ante mortem, certè nonnisi in summitate id est in summo virtutis, nonnisi in DEO & cum DEO.

Quintò expende per gradus inferiores & infimos intelligi res creatas naturales, naturalia bona & talenta. Per gradus superiores intelligi bona spiritualia ac supernaturalia; ac proinde disce hæc æstimare, bonaq; eadem spiritualia ac supernaturalia naturalibus præferre, eo quod hæc longe superiora & excellentiora sint, viciniusq nos DEO ac Cælo admoveant ac reponant.

Sextò ex eo, quod ex Angelis alii per scalam ascenderint, descenderint alii, expende, quod non æquè omnes hâc eâdem scalâ, scilicet tot mediis utantur ad capiendum finem ultimum, sed imò ad Dei offensam ad sui interitum & damnationem. Et quidem quomodo non repentè, non subitò corruant, sed gradatim descendendo ad perditionem, ab uno peccato ad aliud peccatum, ex uno gradu prolabendo ad alium. Vide & exhorresce, ne inter hos descendentes inveniaris. Tum inter illos multum inconstantes Angelos, qui dum toties scalam virtutis ascendunt, iterum iterumq; redeunt ad descensum.

Septimò ex eo quod sicut ex omissione alicujus vel unius in scala scandenda gradûs, ingens casûs periculum, ita

ita in via ſpirituali ex peccatis omiſſionis non minus ruinæ diſcrimen.

Jam ſicut in aſcenſione ſcalæ rectitudo curſus, nec minus medium ſcalæ ejusdem, omnino obſervandum eſt, neq; ad dextram vel ſiniſtram deflectendum; ita in profectu ſpirituali rectitudo intentionis, mediumq; virtutis abſq; deflexione in vitioſam alterutram partem ſcilicet exceſſûs vel defectûs, tenendum. Quod ſi quis accuratè ſervaverit, medio tutiſſimus ibit.

Tandem expende nunquam nos ſatis ſecuros & extra metum eſſe debere, quamdiu extra metam & finem ſumus: adeo ut quo aliquis in ſublimiori Sanctimoniæ ac virtutis gradu conſtitutus, eo magis timeat neceſſe eſt. Quamdiu enim in hac vita degimus, in ſcala ſumus, ex qua eo gravior caſus, quo ſublimior ſtatus, nec quiſquam à periculo ruinæ exemptus, eo ipſo quod ſublimi ſanctimoniâ conſpicuus. Proinde nec Angelicæ virtuti fidendum, cum & hic Angeli inter deſcendentes inventi ſunt. Reflecte te in quo tu quoq; ipſe gradu conſiſtas, & vide ne cadas.

Colloquium gratias age Creatori tuo pro beneficio creationis, & ordinatione tui ad tam ſublimem finem proviſisq; tibi tot & tantis mediis ad eundem. Defle tuam ingratitudinem, deprecareq; Divinam bonitatem quod alios tibi fines longe diverſos ſtatueris, neglecto ſupremo fine mediisq; ad hunc finem aut contemptis, aut male adhibitis. Fac congrua his conſiderationibus propoſita, & exclama: *Feciſti nos ad te & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

MEDITATIO IV.

De fine Hominis Religioſi Societatis IESV.

FUndamentum, erit Viſio Ananiæ facta, qua ei revelatum eſt de Saulo poſtea Paulo, ejusq; converſione, *Actor: 9.*

 de

de qua cum dubitaret Ananias, hac voce erectus est: *Vade quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & filiis Israel Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Prælud: 1. Hæc eadem ipsa Visio in Imaginatione figenda.

Prælud: 2. Imaginare hanc eandem vocem de te ipso dici: *Vas electionis erit mihi iste &c.*

Prælud: 3. Pete gratiam, ut dignas hac tanta tua electione reflexiones ac resolutiones æstimationemq; ipsius mente concipias.

PUNCTUM I.

Comparatio in nonnullis Societatis IESU & cujuscunq; Societatis ejusdem religiosi cum D. Paulo Apostolo.

CONsidera planè similem saltem in nonnullis Societatis, necnon cujuscunq; in particulari Societatis religiosi electionem esse, cum Pauli in Apostolatum electione.

1mò. Ut enim hic post alios Apostolos ferè ultimus in Apostolum electus; ita & Societas post tot religiones Apostolici instituti vix non ultima planeq; in fine sæculi erecta ac fundata: ut non immerito eodem se cum D. Apostolo vocabulo insigniat: ut enim ille minimum se Apostolorum dixit scripsitq; ita quoq; Societatem ipse S. Pater minimam appellari voluit.

Secundò sicut D. Paulus in sua ad fidem & Apostolatum vocatione ex equo ad terram deturbatus, cæcitate in oculos inducta, ita DEUS ad Societatem vocatos, via humiliationis ac depressionis simulq; cæcæ obedientiæ ad magna pro sua gloria & animarum salute agenda disponit.

Tertiò: Adverte in hoc convenire Societatem cum D. Paulo, quod sicut illum ita Societatem bajulam sui Nominis, Christus effecit, eodemq; nomine illam insignivit.

Quartò. Sicut S. Paulus ad conversionem mundi

ac gentium præcipuè, deputatus; ita & Societas ad eundem finem instituta, nempe ad extirpationem hæresum ac peculiariter ad conversionem gentilium Indorum Japonum & aliorum, in quo non modica Societatis opera eluxit. Et hic omnino illius finis est, quem sibi quisq; nostrum propositum habere debet juxta Regulam summarii primam.

Concipe hinc eximiam hujus finis, ad quem DEUS Societatem & te ipsum in particulari elegit, æstimationem. Reflecte te, quomodo hactenus huic fini satisfeceris. Quantum animi & Zeli etiam num habeas ad conversionem peccatorum, hæresum, gentilium, ad peragrandos etiam ultimos mundi fines, modo aliqua spes conversionis infidelium affulgeat, & si DEUS tuâ operâ uti velit.

Adverte verò vocari hic Paulum vas electionis. Cùm autem in omni electione pluribus rejectis, assumatur unus vel pauci, ita in Pauli, ac in tui etiam ad portandum nomen JESU electione factum; quot enim ad idem unà tecum concurrentes, beneficium, & fortè meliores habiliores postpositi, rejecti, te cum paucis ad id muneris electo & admisso. Proinde vide quanti id ipsum æstimare, quomodo huic beneficio ac electioni respondere debeas aut hactenus respondeas?

PUNCTUM II.

Quidnam sit portare nomen JESU.

Considera 1mò. Quidnam sit portare nomen JESU coram gentibus? Nempe non otiosè illo gloriari, illud jactare ne dicam superbire te Jesuitam, te JESU socium esse: sed potius est, illud mundo prædicare, verbis, exemplo, ad ejus agnitionem, amorem, gentes & populos manuducere. Præterea circumferre illud non solum pro vocabulo, sed etiam vitâ & moribus exprimere ac sonare. Hinc te reflecte, an non tu etiam nomen hoc Sanctissimum otiosè portas & jactas? an non es magni nominis

minis umbra? Quem hactenus ex peccatoribus, ex hæreticis, ex gentibus convertisti? quem ad cognitionem & amorem hujus Nominis accendisti sive verbo sive tuo exemplo? quomodo hoc idem nomen vitâ & moribus exprimis? an non huic nomini, glorificationis loco, contumeliam ignominiam opprobrium facis?

Considera verò secundo non dici hic de Paulo: ut annuntiet deprædicet nomen JESU; sed potius, ut portet. Proinde portitorem eum non prædicatorem & præconem denominari. Portitorum autem munus est, manus & humeros, imò caput, collum, scapulas oneribus submittere. Siccine onerosum est Nomen JESU? Ita omnino onerosum inprimis quo ad obligationem quam in Suos portitores inducit: onerosum quo ad excellentiam muneris: onerosum quo ad labores & incommoda, quæ sunt sub hoc nomine subeunda. Onerosum quo ad gravissimas cruces huic nomini conjunctas & alligatas (de quibus infra) Non enim sine mysterio Pilatus hoc nomen & quidem terno idiomate Cruci Christi inscripsit. Adverte autem sicut portitor totum se (ut supra dictum) oneri impendit; Ita quoq; nomen JESU non ore tantum, sed toto se circumferendum. Non solû os & lingua, sed caput, manus pectus, cor, pedes & omnes vires illi portando impēdendas.

Considera 3tiò. Sicut vas pretioso alicui deposito aut liquori deputatum non decet ad alium viliorem usum convertere: ita etiam vas portans nomen JESU absit ut alteri usui serviat. Reflecte te, quomodo hactenus Sortem tuam æstimaveris, an non toties te ad alia potius abjecta, humilia, indigna tanto nomine demisisti? Confundere tanta tui abjectione.

Considera quartò. Expressè poni, *ut portet nomen meum*: meum inquam non suum. Reflecte te: an potius nomen tuum quàm JESU Christi promoveris, tui potius tuorumq; talentorum æstimationem, famam, quàm Divini Nominis exaltationem, quærendo in concionibus functionibus quas gessisti?

Con-

Confidera 5tò. Quid ſit ulterius portare Nomen JESU? nempe non tantum pro illo multa agere ſed etiam multa pati. Et hoc planè commune habet Societas cum S. Paulo de quo ad Ananiam: *Ego enim illi oſtendam quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Reflecte te, quomodo ſis reſolutus quantumve animi habeas ad patiendum pro nomine JESU. Quantum hactenus paſſus ſis ab externis, à tuis ſuperioribus, æqualibus, inferioribus. Si nihil adhuc aut certè modicum? non es verus JESU ſocius, cujus eſt non modica nec pauca ſed multa & magna pati.

Percurre hic conſideratione, quomodo idem Nomen S. Paulus portaverit, percurre inquam omnia ab eo acta & tolerata illa præſertim quæ ipſemet de ſe innuit 2. Corinth: 11. *Miniſtri Chriſti ſunt? plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modū, in mortibus frequenter. Ter virgis caſus ſum, ſemel lapidatus, ter naufragium feci nocte, & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & ærumna in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate &c. &c.* His & aliis perpenſis, vide an ſimile quid vel egeris vel tuleris?

Conſidera tandem non fruſtra apponi hanc cauſam & particulam *enim. Ego enim illi oſtendam* &c. Quaſi hæc eſſet legitima cauſa & ratio electionis Pauli in Apoſtolatum ad portandum nomen JESU & tot alia ſublimia opera: nempe tolerantia multarum paſſionum Hinc in tuis crucibus, humiliationibus ſolatium cape, nimirum ſignum eſſe tales ad eximia pro DEO & ſalute animarum patranda portandaq; plerumq; deſtinari, quos hac viâ DEUS ducit in Religione.

PUNCTUM III.

Media ad finem Societatis obtinendum.

COnſidera media ad prædictum finem Et hæc tibi DEUS efficaciſſima omni ex parte providit.

Imò Ex parte naturæ : nempè capacitatem, aptitudinem, talenta quæ converſioni animarum non inutiliter impendere queas.

Secundò. Ex parte Religionis tuæ, ad quam te vocavit , quot iterum media ! Inſtitutio in doctrina, in Spiritu, tam ſedula, tam accurata, per tot annos exhibita. Huc impenſæ in victum , veſtitum, valetudinem, commoditatem religioſam. Jam regulæ, ordinationes, vigilantia ſuperiorum, diſciplina religioſa, quotidianæ occupationes , exercitia &c. Quid gratiæ DEI ſpeciales quibus ſe hominibus Societais liberalius communicat , & tanquam vaſa electionis exornat perpolit,perficit ad hunc finem, ad portandum ſcilicet nomen ſuum ad converſionem animarum ſuo ſanguine redemptarum. Hinc te reflecte quantum in te hæc eadem media profecerunt, quomodo illis uſus es ? Jamne es effectus idoneum vas ad portandum Nomen JESU? Percurre etiam hic Inſtitutionis ac educationis religioſæ annos,quomodo illos in ordine ad finẽ tuũ transegeris ?

Ut vero S. Paulus ad 3tiũ Cælum, ut ibi ad Apoſtolatum erudiretur raptus; an non & tibi pro Cælo Religio, in quo Societatis homines exquiſitâ ſcientiâ, quâ ſuo fini reddantur aptiores erudiuntur. Hinc in egreſſu ſuo ex Societate (ut experientia conſtat) hâc eadem ſcientiâ ac talentis cum admiratione ipſorum ſecularium pleriq; privantur.

Adverte præterea : Sicut vas ut ſit aptum magnis præſertim uſibus,debet eſſe firmum non fragile, non corruptioni obnoxium , non rimis plenum : ita planè & tu , te ipſum circumſpice, quam firmi beneq;ſolidati Spiritus ſis, quàm à periculo corruptionis alienus, proſperis & adverſis infractus, quam bene in Spiritu & religioſitate fundatus?

ſi

si hac in parte deficis ; præsentibus collectionibus fac ut emendes.

Adverte tandem : Sicut vas Patris familias manibus ad placitum illius permittit se tractari, versari, quocunq; loco reponi, ad quemcunq; usum deputari : Ita plane & Religiosus Societatis. Vix enim efficacius medium est ad promovendam Salutem animarum, & fructuosè operandum circa easdem quam indifferentia quoad officium locum &c. Sinendo se à superioribus juxta illorum placitum gubernari, cuicunq; usui, loco, officio destinari. Vide quantum in hoc medio profecisti ?

Colloquium : Gratias exhibe Christo JESU pro tanta dignatione Societati tibiq; præstita. Nempe quod illam sui nominis bajulam fecerit, ad tamq; præstantem finem evexerit, ac te quoq; etiam ejus sortis reddiderit participem, tam efficacia ad id media providerit, Deplora tuam circa hunc finem ac media negligentiam. Pete à Christo Duce, ne te à possessione hujus finis suiq; nominis obsequio rejiciat. Fac proposita huic materiæ & considerationibus prædictis congrua. Conclude aspiratione S. Patris : *O Domine utinam te homines nossent* ! utinam mali Catholici, hæretici, infideles &c. Seu etiam conclude verbis. Sancti ejusdem Pauli : *Domine quid me vis facere* ? offerendo te ad quævis agenda sustinenda pro DEI gloria & animarum salute.

MEDITATIO V.

De fine Mediato Societatis nempe gloria DEI.

FUndamentum. Visio Esechielis cap. 1. Ubi vidit gloriam DEI sublimi Curru & quatuor animalibus vectam.

Præludium: 1mum. Erit hæc ipsa Prophetica Visio imaginatione exprimenda.

Præludium: 2dum. Petes gratiam agnoscendi tui finis, evadendiq; idoneum propagandæ Gloriæ Divinæ instrumentum.

PUNCTVM I.

AdjunctaGloriæ DEI ab Esechiele descripta & à nobis procurandæ.

COnsidera sicut hominis Christiani duplicem esse finem immediatum scilicet & mediatum. Immediatus est Sanctificatio nostra, Mediatus vita æterna & gloria. Ita etiam Societas finem habet pariter duplicem. Immediatum quoq; & mediatum. Immediatus salus & perfectio propria & aliena. Mediatus & ultimus maior DEI gloria. Adeoq; considera hunc finem in prophetica Visione Esechielis adumbratum esse.

Ubi inprimis expende Adjuncta gloriæ DEI ab Esechiele descripta: nempe quod sublimi currui & rotis insidebat, quatuor animalibus tanquam equis & iumentis vecta Atq; hinc adverte similem tibi imò eandem cum his animalibus incumbere obligationem ex vi instituti & vocationis tuæ: Videlicet obligationem exaltandæ per te promovendæ & provehendæ Ejusdem Gloriæ DEI. Qui finis quam sit sublimis, quam excellens vel hinc, expende, quod sit non cum quibuscunq; Angelis sed cum Angelis altioris ordinis Cherubinis scilicet, qui per hæc animalia designantur, communis. Concipe hinc æstimationem tui instituti ad tam præstantem finem evecti: adjunge te quoq; quam potes firmissimè ad currum istum, totumq; te cum omnibus potentiis ac viribus tuis ad exaltationem & provectionem Gloriæ DEI tanquam jumentum sacrifica &c. cum Psalte exclamado: *ut jumentum factus sum*, cum ipsi Cherubici Spiritus id ipsum non opprobrio sed honori sibi ducant.

Verum expende hic ulterius, cur hæc gloria DEI

stabi-

ſtabilem ſibi manſionem & locum non poſuerit, cur ſolium non inſederit, non incoluerit palatium, ſed curru vehi voluerit per orbem & rotis? atq; hinc etiam adverte gloriam D E I non eſſe contentam, uno angulo, uno loco, nolle quieſcere, ſed velle longiùs & longiùs provehi, ubiq; propagari, orbem viſere ac implere; nec ad unum hominum genus vg divitum, potentum, nobilium, ſed etiam ad viliſſimas pauperum caſas ſese extendere, ad omnia, loca perſonas indifferentem eſſe. In quo quantùm illi velificetur Societas quis non videat? cum pro fine ſuo ſuarumq; omnium operationum habeat non qualemcunq; ſed majorem ſemper ac majorem Gloriam DEI prælucente ſibi regula ſummarii ſecunda: *noſtræ vocationis eſt diverſa loca peragrare & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus DEI obſequium & animarum auxilium ſperatur.* Vide an & tu pro obligatione tui parem tanto fini animum ac Zelum eumq; ullis locis ac perſonis illimitatum habeas. Exardeſce eodem zelo circa eandem gloriam DEI promovendam quo potes maximo.

PUNCTUM II.

In hoc puncto expende adjuncta quatuor animalium. *Adjuncta 4. animalium.*

Et primo quod cuilibet ex illis erant facies quatuor Hominis, Leonis, Aquilæ, & bovis. Atq; hoc ipſum ideò, quod ad provehendam DEI gloriam facie hominis, id eſt Sapientiâ, Scientiâ, prudentiâ humana opus ſit. Facie Leonis, hoc eſt fortitudine leonina, fortitudine imperterrita in adverſis, fortitudine invicta. Facie Aquilæ, id eſt irretorto oculo in ſolius gloriæ DEI intuitum per rectam in omnibus intentionem directo ac defixo. Facie bovis, ideſt infatigabili circa gloriam DEI promovendam animo & conatu. Vide an in te hæ facies eluceſcant?

Secundo expende quod hæc animalia *plena erant oculis ante & retro* (ut etiam S. Joannes in ſua Apocalypſi teſtatur) Hocq; ideò quod ſpeciali ac planè lynceâ circumſpectione & cautelâ, viris Apoſtolicis D E I gloriam providentibus ſit opus. Vide qua tuipſe cautelâ qua circumſpectione præſertim in tuis converſationibus uſus ſis? quantumq; gloriæ divinæ hujus circumſpectionis & cautelæ negligentiâ ac defectu effeciſti? Jam quot oculis, iisdem viris Apoſtolicis opus eſt : ut omnes Gloriæ Divinæ propagandæ occaſiones circumſpiciant? Qua inſuper munditia carnis & animi, ut nulli nævo vel pulviſculo, quemadmodum oculus, ſint obnoxii. Quam intento in eandem gloriam DEI intuitu, abſq; ullo ſui reſpectu, adinſtar oculi, qui alia omnia videt præter ſeipſum.

Tertio expende quod hæc animalia, *ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur* Nempe ſolius divini ſpiritûs ductu regebantur, non ductu carnis aut appetitûs ſenſualis, non ductu reſpectuum humanorum, non, impetu paſſionum &c. Vide quo tu quoq; Spiritu regeris, quo ductu, converſationibus & aliis functionibus te impendis?

Quarto expende quod *ſuper capita eorum eſſet ſimilitudo firmamenti.* Nempe nihil terrenum cogitatione volvebant, in cælo capite & mente defixâ, longe à ſpe & appetitu terrenæ mercedis ac retributionis poſita. Vide quis in te quoq; hac inparte ſenſus?

Præter hæc autem 1. *Quatuor pennæ uni* : ſcilicet Virtutes cardinales, quarum maximus uſus & neceſſitas in propagatione Gloriæ divinæ. 2. *Pedes eorum pedes recti*: id eſt appetitus & affectus omnes. 3. *Planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli* : præ cæteris enim animantibus bos ſive vitulus ſolidè, firmiter, fortiter, pedem ſeu plantam figit, nec ita facile recalcitrat: quod etiam propagatoribus Gloriæ Divinæ ſpectandum. 4. *Manus hominis ſub pennis eorum*, per quod laborioſus & operativus gloriæ Divinæ Zelus denotatus idemq; celer & efficax. 5. *Junctæq; erant pennæ eorum*

alte-

alterius ad alterum: quod ipsum Charitatis & concordiæ mutuæ symbolum. 6. *Non revertebantur cum incederent*: scilicet constantia ac perseverantiâ infatigabili præcellebant. 7. *Unumquodq; ante faciem suam gradiebatur*: id est omnia agebat oculatè, prudenter ex deliberatione, consilio, ex prævisione agendorum, nihil cæco modo, nihil temere, verso etiam ad se suasq; & non alienas actiones intuitu: 8 *Aspectus eorum quasi carbo ignis ardentis & quasi aspectus lampadarum*. Per quod Zelus ardens & exemplaris exprimitur juxta illud: *luceat lux vestra coram hominibus*. 9 Animalia *ibant in similitudinem fulguris coruscantis*: id est eximia celeritate & activitate in operando præstabant. Vide quidnam horum adjunctorum inte exprimas?

PUNCTUM III.

In hoc puncto expende adjuncta Currûs & rotarum. Ac imprimis quod *cum elevarentur animalia, elevabantur simul & rotæ*: atq; hinc adverte mensuram elevationis currûs gloriæ DEI, esse elevationem nostri sursum à terra. Quantum videlicet â terra, â terrenis cupiditatibus in sublime virtutis ac perfectionis elevamur, in tantum provehimus sublimitatis, Gloriam DEI. Vide ac intime agnosce, ideo te in promovenda Gloria DEI parum proficere, quod ipse terræ terrenisq; animo inhærens, modicum in virtute ac religiositate proficias.

Adjuncta currus & rotarum.

Expende secundo per has rotas à SS. Patribus intelligi ætatem humanam ejusq; quatuor partes: Pueritiam, Adolescentiam, Virilem ætatem & senectutem. Vide hinc ipse quantum ætatis tuæ, Gloriæ DEI impenderis ac etiam impendis? confundere quod mundo, vanitati, captandis nescio quibus plausibus magna ejus pars cesserit, DEO ejusq; gloriæ vix tantillum: consecra illi saltem vitæ residuum.

Expende tertio quod in medio illarum rotarum erant aliæ rotæ. *Rota* (inquit) *in medio rotæ* : id eſt ſymbolum æternitatis, in quam quiſquis oculum intendit fixius; nihil temporale, nihil terrenum cogitat, uni gloriæ Divinæ promovendæ intentus. Vide quiſnam apud te æternitatis intuitus? & quonam modo tuorum annorum & actionum minores rotæ intra hanc rotam maximam volvantur?

Expende quarto per easdem rotas à pleriſq; intelligi 4. orbis partes. Et certè in has totq; partes orbis Viri Apoſtolici gloriam DEI provexerunt, hoc curru & rotis fecêre ſublimem. Erubeſce quod nihil ſimile audeas faciasve, quod nec tantillo mundi ſpatio imo angulo eandem DEI gloriam propagaveris. Et ſi homo parvus mundus eſt: an ſaltem vel in unicum talem mundum eam ipſam invexeris. Imo ex te ipſo quidnam laudis & gloriæ DEO accrevit aliquando?

Expende 5to. De rotis iisdem ibidem dici, quod *Spiritus vitæ eſſet in rotis*. Quis vero hic Spiritus niſi gratia DEI inprimis habitualis, quæ eſt anima animæ, vita vitæ noſtræ, ſine qua omnes noſtræ operationes mortuæ. Tum gratia actualis, ſine qua noſtræ omnes activitates & efficaciæ nullæ. Vide quis in te ad utramq; gratiam reſpectus & conatus? Inſuperq; per eundem Spiritum vitæ intellige rationes purè ſpirituales æternas, non humanas aut politicas, quibus ſcilicet gloriæ propagandæ intenti, regi debent. ſimulq; quiſnam hac in parte ſis vel fueris, adverte.

Colloquium & Affectus. Offer te totum tuaq; omnia talenta, vires, famam, æſtimationem, vitam ipſam & ſanguinem Gloriæ Divinæ. Damna ac deteſtare omnes alios devios fines quibus hactenus ſtudueras, præſertim vanam tui ipſius gloriam. Defle tuam hac in parte amentiam, & jacturam tot laborum ad alium finem quam ad gloriam DEI directorum, adeoq; jacturam etiam tot meritorum. Pete à DEO, ut te gloriæ ſuæ dignum efficere inſtrumen-

tum

tum velit, ad idq; muneris acceptare. Propone, te, abhinc exemplo S. Patris omnia ad solam DEI maiorem gloriam directurum: hocq; ipsum semper in ore habiturum ac in corde: Exclama tandem cum Psalte; *Non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.*

Hæc ipsa meditatio usui esse potest cuicunq; ad statum quemcunq; spiritualem gloriamq; DEI promovendam vocato.

MEDITATIO VI.

De recta in omnibus intentione.

FUndamentum: Visio Apocaliptica Joannis Apoc: 6. *Veni & vide: & ecce Equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret*: Symmachus legit cum additamento: *Habebat arcum & tetigit circulum.*

Prælud: 1. Eadem Visio in imaginatione constituenda.

Prælud: 2. Pete gratiam, ex hac Visione rectitudinem intentionis agnoscendi eamq; sectandi.

PUNCTUM I.

Quid sit recta intentio & in quo consistat?

COnsidera in hac visione rectitudinem intentionis adumbratam, eamq; per sagittam ex arcu emissam intelligi: per circulum autem intelligi sive æternitatem, sive ipsum DEUM æternum, ejusq; gloriam. Utiq; enim sic sapientes Ethnici DEUM definiebant: DEUS est Circulus, cujus centrum ubiq;, periferia nusquam.

Atq; hinc adverte, quid sit esse rectam intentionem, nempe recte eam tendere in suam metam & finem. Tunc autem rectà tendit, dum non tendit ad quidquam creatum temporale terrenum, sed ad æternum ad Deum ipsum ipsiusq; gloriam, & placitum.

Adverte 2dò non illam alteri quam cursui sagittæ assimiliari: non enim cursui navis sive in mari sive in amne quocunq; Hujus enim cursus nequaquam rectus, sed imo variè obliquus, sive ex occasione ventorum fluctuumq; impellentium, sive ex occasione scopulorum Syrtium Charibdum vitandorum, sive ex occasione necessarii commeatus conquirendi: sive deniq; ex occasione ipsius tractus & alvei sinuosi. Non volatui cujuspiam volucris: quia & hic nunquam rectus & æqualis, sed varius pro necessitate aut libitu: nunc sursum, nunc deorsum, nunc ad dextram, nunc ad sinistram, sæpe etiam retrogradus: non cursui cujuscunque pecoris, exquo is non recta ratione sed appetitu sensuali regitur. Non deniq; cursui ipsius hominis: quia & hic non semper, variis de causis rectus, stabilis, æqualis, constans.

Adverte 3tiò. Sicut ad emissionem sagittæ tria concurrunt: arcus, nervus, manus; ita ad rectitudinem intentionis, voluntas velut arcus à recta ratione tanquam à nervo intensus, & simul applicatio ac operatio, sine qua intentio parum aut nihil valet.

Examina hic tuas omnes actiones functiones, verba & cogitata, quâ intentione illa exornaveris? Quem usum intentionis & quàm frequentem quàm elevatum in illis habueris? Examina ipsas tuas intentiones, quo erant, ad quem finem directæ?

PUNCTUM II.

Adjuncta recta intentionis.

CONsidera Equitem hunc Apocalipticum sagittam ex arcu jaculantem, equo albo insidere: per illumq; etiam Rectitudinem intentionis adumbrari, eò quod albedo denotet candorem, sinceritatem, puritatem, immunitatem ab omni nævo & fuco. Et planè hoc ipsum est rectæ intentionis attributum, ut se non permittat ullis imperfectionibns, deviis respectibus, nævisq; ullis coinquinari,

nari, adaoq; sit defecata ab iisdem. Examina hic iterum tuas intentiones: an hæ erant sic depuratæ ab omni imperfectione & devio respectu, an sinceræ, candidæ, absq; omni hypocrisi, vana gloria, occulto saltem boni temporalis & proprii commodi studio?

Considera præterea per hunc equum denotari celeritatem & efficaciam, adeoq; expende, illum, quisquis rectam in suis actionibus intentionem habere connititur, nihil cunctari, nihil reformidare, nullis difficultatibus, respectibus, & minis terreri, nihil differre, nullis remoris distineri, sed omnia celeriter efficaciter strenuo animo aggredi, expeditè & feliciter conficere. Uti de equo Job: *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem nec cedit gladio &c* Cap. 39.

Unde hinc conclude, ideo nobis multa non succedere, ideo divina benedictione carere, per dilationes & moras inanes dissipari & in vanum & vacuum abire, quia in illis defectu rectæ intentionis laboramus. Reflecte te supra te ipsum, causamq; malorum tuorum Successuum, etiam in negotiis gloriæ Divinæ & salutis animarum, deviis non sinceris intentionibus attribue.

Considera tandem per hunc eundem equum intelligi, appetitum sensualem, amorem mundi ac terrenorum, qui nos sæpe numerò ad devia, illicita & parum honesta ducit & provocat, à fine ultimo retrahit ac dejicit: tandemq; non rarò in barathrum damnationis præcipitat, nisi à recta intentione frænetur, cohibeatur, ad finem debitum dirigatur. Reflecte te, quid in te valuerit & an prævaluerit hic idem appetitus & amor mundanus? quomodo illum frenaveris? in quas te vanitates, in quot devia deduxerit? & hoc quidem defectu debitæ intentionis. Propone abhinc arctiori fræno ac præcipuè fræno rectæ rationis ac intentionis illum teq; ipsum coërcere.

PUN-

PUNCTUM III.

Præmium & effectus rectæ intentionis.

COnſidera, datam eſſe huic Apocaliptico Equiti coronam: nempe, à ſolis, rectam intentionem in actionibus ſuis uſurpantibus coronam obtineri. Age quidvis, ſuſtine quidvis, aude & perpetra, profunde etiam vitam & ſanguinem; fruſtra ſunt omnia, ſi recta in iis intentione caruiſti. Deplora hic tuos labores Religioſos, ſudores ſcholaſticos, concionatorios, vigilias ærumnas, deplora tot occaſiones & jacturas meritorum adeoq; præmii æterni, idq; ob defectum debitæ intentionis.

Conſidera ſecundo de eodem Equite dici, quod *exivit vincens ut vinceret.* Nimirum quisquis rectam in omnibus intentionem habere allaborat, illi facile & promptum eſt vincere omnia adverſa, omnes mundi & carnis illecebras, omnes ſatanæ tentationes, omnia in via ſpirituali impedimenta, obſtacula, difficultates quascunq; , linguas alienas, proprias paſſiones &c. Nec fruſtra additur. *Vincens ut vinceret*, ac ſi victoria victoriæ præluderet, victoria victoriã cõitaretur, tam faciles & multiplices tamq; conſtantes eſſe victorias, ut victoriæ ex victoriis emergant, & fluant, adeòq; tales vinci neſciant. Cum contrarium in iis contingat, qui in hac eadem intentione deficiunt: & ſi enim vincant aliquando, poſtea tamen non raro profligantur & ſuccumbunt Imò cùm etiam vincunt, illicò à vanitate quapiam, & inani gloria vincuntur. Intuere hic teipſum, defectumq; victoriarum Spiritualium defectui intentionis adſcribe.

Adverte vero hunc eundem equitem poni ſine appellatione ſine nomine: nempe illum nihil ad ſui nominis celebrationem, omnia ad nominis divini gloriam direxiſſe, ſui nominis obliviſcentem, imò illud obliterantẽ, adeò acſi eodem defacto careret, ſoli divino nomini & gloriæ intentum: Quàm autem eximio hujus ipſius præmio! ſcilicet

præmio

præmio nominis ac dignitatis regalis cum diademate sibi collati: *Data est ei* (inquit) *corona*. Complace tibi proinde in hoc ipso præmio intentionis ad solius Divini nominis glorificationem ordinatæ. Condemna autem & deride intentiones ad privati nominis celebritatem directas.

Pro colloquio Oratio Ecclesiæ: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat & per te cepta finiatur*

MEDITATIO VII.

De iis quæ nos avocant ab ultimo fine.

FUndamentum. Visio Apocaliptica S Joannis: quâ vidit mulierem Babilonicam sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blaspiemiæ, habentem capita septem & cornua decem: *Et mulier erat circumdata purpura & coccino & inaurata auro & lapide pretioso, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus. Et in fronte ejus nomen scriptum, mysterium: Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* *Apoc: 17.*

Prælud: 1. Hæc ipsa visio in imaginatione constituenda.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi fraudes hujus mulieris Babilonicæ à tuo te fine avocantis, easq; detestandi, rectaq; ad eundem finem tendendi.

PUNCTUM I.

COnsidera per hanc mulierem Babylonican intelligi mundum, per poculum in manu ejus Carnales voluptates & illecebras. Per bestiam cui insidebat intelligi diabolum *Quidnam per hanc mulierem Babylonicam pocu-*

lum & bestiam intelligendum? Nempe Mundus caro diabolus.

bolum, aut etiam corpus & appetitum animalem bestialem.

Atq; hinc expende hos esse capitalissimos hostes eosq; ad hoc juratos; ut te & quoscunq; tecum à fine ultimo abstrahant, pertrahant ad se, seq; pro fine eodem statuant. Quapropter adverte, quidnam hactenus ea in parte apud te valuerint: quis in te de mundo, carne, ejusq; illecebris sensus, quæ diaboli suggestionibus resistentia?

PUNCTUM II.

Adjuncta mulieris Babylonicæ, & circa illa reflexiones practicæ.

CONsidera adjuncta hujus mulieris Babylonicæ: ex singulisq; fructum Spiritualem decerpere, congruasq; reflexiones practicas eruere stude.

Primo quod hic sub mulieris specie mundus exhibeatur, idq; quo facilius decipiat, quo efficacius ad se alliciat & à fine ultimo avocet, ex quo sic Salamonis cor à DEO avertit. Vide & time ne tibi ea Specie illudat.

Secundo. Quod hæc mulier purpurâ & multis aliis ornamentis ac divitiis conspicua apparuerit, indeq; adverte mundum his duobus mediis sequaces finis ultimi ab eodem avocare consuevisse, nempe honoribus per purpuram significatis, & opibus. Vide ne his in te illiciis aliquid valeat & efficiat, aut jam effecerit: si non ambitu honoris secularis saltem ambitu honoris præeminentiæ & æstimationis religiosæ. Si non ambitu divitiarum & opum mundanarum, saltem religiosæ, extra sphæram paupertatis & instituti, supellectilis.

Adverte vero 3tiò. Hic dici non indutam auro aut vestimentis aureis, sed solum inauratam, ut vel ipse talis vestitus & inauratio suspectam tibi faciat: ex quo scimus viliora esse intus quæ deaurantur ab extra: atq; idem de mundo cogita.

Quartò. Quod habuerit poculum aureum in manu sua Unde etiam expende mundum imprudentibus ea specie

poculi aurei illudere, ut virus in eo contentum & latens, alacriùs hauriant, & à deliciis cælestibus ac divinis avocentur facilius, avocentur inquam mundanis solatiolis delectationibus suavitatibus dulcedinibus voluptatibus carnalibus eo poculo propinatis: ut defacto novimus plures ita avocatos & evocatos etiam è Religione. Vide an etiam apud te hæc deceptio locum habuerit?

Quintò. Quod in fronte Nomen Scriptum habuerit: *Mysterium*, id est occultum aliquid reconditum: idq; ex eo quod mundus delicias voluptates illicia in aperto ponat, suas autem amaritudines defectuositates quantum potest occultet? Vide an hæc superficies te aliquando non deceperit? simulq; adverte mundum nobiscum procedere non palam non candide non aperto marte, sed nimis fraudulenter fucatè politice mysteriose, non clare invitando ad peccatum, sed exhibendo in fronte speciem alicujus boni, mysterii, interim autem latentem intus malitiam & sceleratas sequelas celando: Adeoq; hinc omnia mundi invitamenta ac resolutiones suspectas habere stude.

Sextò. Quod in eadem fronte fuerit inscriptum *Babylon*: quod est confusio: idq; ex eo quod in mundo nulla pax, nulla quies nullus ordo, nulla vera gloria, sed ingens inquietudo, ingens tumultus ac perturbatio, & tandem sempiterna coram cælo & DEO confusio, imo & coram hominibus, quam prædicti à fine suo errores loco gloriæ famæ & honoris inveniunt. Vide quantum te decipias, qui in mundi illecebris solatium honorem & quietem inventurum te existimas.

Septimò. Quod adhuc in eadem fronte scriptum erat, *Mater fornicationum & abominationum terræ*: Et hic adverte, quo mundus per suas illecebras & speciositates tendat & ducat? nempe post illos speciosos mysterii titulos ad tam turpia ad inhonesta ad extrema scelera & abominationes. Vide ne te quoq; eo deducat aliquando, quo tot alios deduxit, incipiendo à speciosis ab honestis utcunq; vg ab

 ambi-

ambitione terreni honoris æstimationis opum, imo etiam à virtuosis, & desinendo in tam turpia & abominanda. Hic scilicet illius mos, hic dolus hæc natura hoc mysterium.

Dicitur vero eadem mulier Mundum significans *sedisse super aquas multas*: ut vel hinc pateat; in quam periculoso statu & turbulento sit, mundus mundaniq; asseclæ: Quis ex illis securitatem pacem quietem ac tranquillitatem veram dulcedinem sibi spondeat: si super aquas multas id est super mare tot periculis tot fluctibus tot scopulis & monstris tot amaritudinibus refertum considerat. Utinam idipsum omnes unà tecum ut par est suspiciant & apprehendant: simulq; quam fluxa sint, quibus insident.

PUNCTUM III.

Adjuncta bestiæ seu diaboli, cui insidebat mulier babylonica.

CONsidera adjuncta Bestiæ, cui insidebat dicta Babilon.

Primò. Quod sub nomine & specie Bestiæ compareat: nempe diabolus hoc plane intendit, ut sicut ille in bestiam teterrimam per peccatum transformatus, ita etiam nos pariter transformare studeat. Hinc illius præcipuum intentum, ut nobis rationem ac intellectum obscuret, ejus usum impediat & quasi adimat, atq; sic nobis omnia animalia sensualia inhonesta pæneq; bestialia ab homine usuq; ac dictamine rationis aliena persuadeat. Vide ac time ne eò etiam, ductu diaboli prolabaris aliquando. Neq; confidas limato judicio, defecatæ prudentiæ, tot sive moralibus sive spiritualibus luminibus illustrato, tot scientiis ac doctrinis perpolito intellectui, cùm non unum etiam Salomonem suis artibus seduxerit, & ad inhonestissima quæq; prolabi fecerit.

Secundò. Quod eadem bestia *in concino* apparuerit eo quod hoc sit Symbolum implacabilis crudelitatis tyrannidis, odii sanguinolentiæ, quam in suos etiam asseclas exercet. Vide hinc cui fidas cuiq; adhæreas? Neq; te blandis invitamentis seduci permittas. Ter-

Tertiò. Quod hæc beſtia plena fuerit *Nominibus Blaſphemiæ*: nimirum ex eo, quod in hoc ſit ars diaboli, ut nobis amorem virtutis vitæq; ſpiritualis ac DEI ipſius obſequium reddat odibile: hinc neſcio quæ probra blasphæmias in virtutem virtutiſq; ſectatores ac Deum ipſum jacere conſvevit: Vide quo animo blaſphæmias haſce ac terriculamenta accipias?

Quartò. Quod habeat *capita ſeptem*, ex eo quod infinitis fraudibus, dolis ſtratagematibus adinventionibus abundet, quibus nos circumveniat, & à fine noſtro ultimo, detrudat, ad ſeq; pertrahat. Vide ac pernoſce has fraudes, adverſusq; illas te obarma. Inſuperq; intellige: hæc eadem capita devicta reciſaq; toties, ad inſtar Lerneæ hydræ, ſemper iterum excreſcere. Ne poſtquam ſemel atq; iterum dæmonem ejuſq; fraudes ſuperaveris, unquam ſecurus ſis, ac liber,tibiq; fidas. Semper ille quàmdiu vives, licet toties ſuperatus, adverſum te aſſurget, teq, validius aggredietur, ab ipſo ſuo caſu velut *Anthæus* animoſior. Inducias non raro ſimulat, ut te incautum efficiat, atq; ſic opprimat. Veluti taurus eo inferius & humilius cornua demittit & quaſi edomitus ſolo acclinat, ut eo vehementius impetat & exagitet, ita dæmon quo magis ſe devictum oſtendit, arma ac inſidias ponit, tanto minùs fidendum ſuſpectis & ementitis induciis.

Præterea per capita ſeptem, intelliguntur ſeptem peccata capitalia, in quæ homines ſi non illico ac repente, ſaltem lente præcipitat. Hocq; apud illum præcipuum rei ac negotii caput eſt. Adverte quo ſuis fraudibus hic impoſtor collimet?

Quintò. Quod habeat *corona decem* id eſt contraria decem DEI præceptis dogmata, reſolutiones ac rationes politicas, præſertim in materia carnis & juſtitiæ, quæ ſui ſectatoribus inſtillat ac perſvadet, quibus nos veluti expeditis cornibus invadit, & à fine ultimo dejcit. Vide an & tu in his ejus dogmatibus & politia non profeceris?

Colloquium confuge ad Christum Crucifixum, ad Beatissimam Parentem ad SS. Patronos Angelosq; Tutelares tuos, ut te adversus tot fraudes protegant ac defendant. Protestare quod fini tuo quam firmissimè adhærere velis, & ne unguem quidem ab eo recedere: exclamando: *Mihi autem DEO meo adhærere bonum est* Conclude tandem Oratione Ecclesiæ, pro Dominica 17. à Pente: *Da quæsumus Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & te solum DEUM pura mente sectari.*

MEDITATIO VIII.

De peccato mortali.

FUndamentum. Visio Moysis Exod: 4. Ubi Deus illi apparens jussit projicere virgam in terram, quæ projecta versa est in colubrum, itaq; exterruit Moysen ut fugeret. Iterumq; cum apprehendisset Moyses caudam ejus, versa est in virgam.

Prælud: 1. Hæc ipsa Visio Moysis, imaginatione exprimenda.

Prælud: 2. Pete gratiam ex ea visione proposita penetrandi essentiam peccati illudq; detestandi.

PUNCTUM I.

Malitia & turpitudo peccati mortalis.

COnsidera in hac Visione adumbratum esse utcunq; peccatum mortale. Vtiq; enim monet Ecclesiasticus: *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Quid enim malitiosius virulentius colubro, in quem versa est virga Moysis, quid eo turpius?

Planè

Planè verò in peccato mortali hæc duo tibi consideranda occurrunt. Nempè malitia & turpitudo illius.

Expende primo malitiam ac virulentiam peccati mortalis. Et hanc quidem primo ex parte DEI, quem tantopere offendit ac lædit, cor ejus intime configit ac vulnerat, Christum iterum crucifigendo quantum de se occidit &c. Secundo ex parte hominis, cui mille damna ac vulnera infert, imo mortifero toxico eum inficit ac enecat. Expende hic & intra te enumera hæc damna & effectus malitiæ peccati. Jam ejusdem peccati pone præ oculis turpitudinem, eamq; non tantum cum colubro, sed cum omnibus turpitudinibus ac monstris confer. Et quod majus est: quod eandem turpitudinem ac deformitatem in ipsum peccatorem transfundendo ac derivando, in teterrimum colubrum illum transformet. Quid dico in colubrum, imo in mille monstra ferarum, juxta speciem ac discrimen peccati à peccato. Eundem mundo, Cælo, DEO, & Angelis abominabilem super omnia constituat, imaginem DEI & omnem simmetriam spiritualem in illo confundat & aboleat. Intuere hîc te ipsum ac tuam conscientiam: an non etiam in similem metamorphosim inciderit? teq; supra te reflecte qualis in oculis Cæli ac Dei inveniaris?

PUNCTUM II.

Considera circumstantias hujus metamorphosis in virga Moysis.

Causæ lapsus in peccata mortalia.

Imam quod vix è manu illius projecta, illico in colubrum versa: atq; hinc expende similem esse causam nostri in peccata lapsûs tamq; detestandæ metamorphosis: nempè projectionem de Manu DEI. *Projecitq; virgam & versa est in colubrum.* Quamdiu in manu DEI sumus tamdiu ibi radiamus velut carbunculi, ut gemmæ, ut stellæ. Vix proiicimur, jam in monstra degeneramus. Vide quàm

caute & cum timore ambules, ne de manu DEI excidas, ne illud merearis ut, te DEUS de sua dextera projiciat.

Considera circumstantiam Secundam, quod vix in terram virga illa e manu decedit, vix illam attigit, illico in in colubrum degeneravit. Atq; hinc expende causam peccatorum ac monstrorum mutationumq; in nobis similium. Eamq; esse appetitum affectum, inclinationem ad terrena, adhæsionem rebus terrenis, amorem terrenorum. Vide an hæc etiam in te locum non habeant? Et si ita inveneris, proximam occasionem lapsûs exhorresce, ne tibi illud sero occinas quod Psaltes: *Infixus sum in limo profundi & non est substantia.* Nimirum postquam limo, hoc est terrenis inhæsisset, in deforme adeo monstrum mutatus est, ut non accidentia tantum humana sed ipsam etiam Substantiam visus est sibi amisisse, desiisseque esse homo.

Considera tertiam circumstantiam: Quod inquam vix Moyses apprehendit caudam ejus, illico rediit ad pristinam speciem: *Versa est in virgam*: : acsi, apprehensio caudæ & finis, pristinæ illam speciei restituerit. Unde in simili expende vix esse efficacius medium ut peccator convertatur à via sua mala, utq; ad se redeat, quam si apprehendat vivacissimè caudam finem seu exitum peccatoris & peccati. Imo ne in tam turpe monstrum degeneret, id faciat necesse est, ut semper, præcipuè in occasionibus & suggestionibus peccandi habeat præ oculis seu in viva apprehensione hunc eundem finem & exitum peccati, in quem omnis peccans post omnes delectationes dulcedines evanidas tandem devenire cogitur. Adeoq; conclude peculiarem esse causam nostri in peccata consensus & tam monstrosæ metamorphosis: quod ad hanc caudam non respiciamus, quod parum aut omnino non apprehendamus finem & exitum peccati cujuscunque. Vide quomodo teipsum in occasionibus ac suggestionibus ad peccandum gerere consuevisti?

PUN-

PUNCTUM III.

COnſidera primò: quomodo hæc virga non aliter ad ſe redierit, quam iterum à manu Moyſis è terra ſublata & aſſumpta. Unde ſpeciale motivum non peccandi erue. Nempe nihil faciliùs eſſe, quam in peccatum ruere, cum hoc in noſtra manu ac poteſtate ſit, ipſâ nos humanâ fragilitate ac natura propellente ad ruinam. At nihil difficiliùs quàm a peccato converti aſſurgere & ad cor redire: cum hoc nullatenus in noſtra poteſtate exiſtat, ſed in manu ſoliùs DEI. Planè adinſtar rudis baculi hac in parte ſumus, qui poſtquam in terram procubuerit, nequaquam ſe erigit aliter, quam ſi à manu quapiam levetur. Atq; hinc expende: quam ſtultæ illæ peccantium reſolutiones; Peccabo interim, fruar voluptate: poſtea pœnitentiam agam de peccato, convertar, lacrymis ſcelus eluam. O ſtulte nimium! In tuane manu hæc tua converſio? in tuane manu ac viribus naturalibus dolor de peccatis ſupernaturalis? qualis ad juſtificationem requiritur, in tua ne manu gratia juſtificans? Quis tibi illam poſt peccatum appromiſit, quis aſſecurationem ſubſcripſit deditq;? Vide an etiam eâ ſtultitiâ tamq; periculoſo & incerto dictamine ac reſolutione non laboras?

Motiva & media non peccandi lethaliter.

Conſidera ſecundò. Quomodo vix hæc eadem virga in ſpecie colubri Moyſi comparuit, illico ſe in fugam proripuit. At non inſiliit in illum coluber, non exeruit virus? Nempe ipſum etiam fugiendum erat tempeſtivè periculum & occaſio, fugienda quæcunq; cum colubro vicinia? Unde etiam ſpeciale medium ad evadendum peccatum deprome, nempe fugam periculi, fugam occaſionis. Nihil hâc tibi ſit promptiùs ad arripiendum, præſertim in tentationibus carnis, cum quibus cave colludas, ſed quam primum fugias. Coluber eſt, cui colludere lethale, fugere præſentiſſimum ſalutis refugium.

Considera Tertiò Moysen, quamdiu hæc virga, virga fuit, illam tenuisse manibus, gestasse, etiam pectori admovisse. Vix evasit in colubrum; non tantum eam fugâ præcipiti reliquit, sed etiam execratus est. Oculis ne dignatus quidem. Unde iterum tibi non leve medium evitandi peccatum occurret. Nempe fuga consortii cum improbis,. Age cum hoc vel illo, conversare, alloquere dum virga est. Postquam coluber evasit, in colubrum degeneravit, ne quidem aspectu & alloquio dignare.

Colloquium. In hoc adhibe congruas materiæ & cosiderationibus detestationes, dolores, deprecationes Divinæ Majestatis, protestationes, resolutiones, heroica proposita, petitiones gratiarum efficacium, quæ te saltem abhinc præservent, à peccato lethali. Conclude hac vel simili aspiratione. Præstat millies mori, quam te DEUM meum summum bonum offendere.

MEDITATIO IX.

De peccatis Hominis Religiosi.

Esech: 8. FUndamentum: Visio Esechielis introducti in templum Jerosolimitanum: ubi demonstratæ illi abominationes & idola templi, ac præcipuè idolū Zeli in ipso introitu: Persossoq; pariete ostensæ picturæ & similitudines omnium animaliū reptilium, universorum Idolorum domus Israel, quibus adolebāt incensa cum *thuribulis, 70. viri de senioribus Israël*: Ostensæ preterea *mulieres plangentes Adonidem*, ac tandem *viri dorsa habentes contra templum Domini.* Quibus abominationibus adeo indignatus est DEUS, ut extremis pœnis templum illud ac civitatem cum mulieribus & infantibus delere decreverit.

Prælud: 1. Imaginaberis eandem visionem.

Præ-

Præluđ: 2. Petes gratiam agnoſcendi exinde malitiam & abominationem in conſcientia hominis Religioſi peccatis deformata.

PUNCTUM I.

COnſidera plane ſimilem eſſe huic templo Jeroſolimitano prophetæ repræſentato faciem animæ & conſcientiæ religioſæ peccatis gravibus deformatæ. *Comparatio hominis Religioſi cum tẽplo Jeroſolimitano Propheta oſtenſo*

Quid enim aliud religioſæ animæ? quam templa DEO ejusq; ſpeciali cultui conſecrata. Unde quòd ibi idola & abominationes, hoc in anima religioſi peccata verbo & opere perpetrata. Quod ibi picturæ ac imagines idolorum animalium reptilium, hoc in Religioſo multiplicia ac varia peccata cogitationum imaginationum. Quod ibi idola in introitu, in portis, atriis, expoſita, hoc peccata manifeſta nota mundo, cum ſcandalo admiſſa. Quod idola & abominationes poſt foſſum parietem Prophetæ manifeſtata, hoc peccata occulta hypocryſi velata, ſoli DEO & conſcientiæ nota. Quod ibi mulieres plangentes Adonidem & Sacra Veneri facientes, hoc in religioſo peccata carnis. Quod ibi adolentes cum thuribulis incenſa idolis: hoc in religioſo fumus vanitatis, præſumptionis, ſuperbiæ, hypocryſis. Quod ibi viri dorſa habentes obverſa templo & altari: hoc in religionibus contemptus rerum Spiritualium ac divinarum, contemptus præſentiæ DEI Sacramentorum, Regularum &c.

Introſpice animam & conſcientiam tuam, & vide, an non etiam ibi ſimiles abominationes & idola inveniantur? Introſpice cogitationes verba & opera.

PUNCTUM II.

COnſidera quam DEUS ægrè tulerit has abominationes templi Jeroſolimitani: ut & Templum & Civitatem *Cauſæ ſpeciales Divinæ indignationis*

 ſine

Contra peccata religiosorum.

sine ulla cōmiseratione extremis suppliciis delere decreverit, ut legere est in hoc & in sequenti capite. Fuêre tot idola alibi: fuêre in Samaria, Aegypto, fuêre per tot alia regna & gentes, Neq; sic illis indignatus est, ut civitati ac templo Jerusalem. Inde etiam, idola ibi posita appellavit idola Zeli, hoc est zelum, iram ac indignationem Dei provocantia adversum se ac templum ejus. Nempe templum illud erat locus à DEO specialiter electus, erat locus sacer, soli divino cultui deputatus. Adeoq; hinc expende, quam graviter DEUS apprehendat peccata in religione utpote in loco sancto perpetrata, quam graviter in illa animadvertat. Unde illud: *In terra Sanctorum inique gessit non videbit Gloriam* DEI.

Considera 2dò. Illud etiam fuisse causam tantæ indignationis divinæ & animadversionis in templum & civitatem Jerusalem. Quod illam Civitatem ac præcipuè templum suo cultui delectum speciali protectione foverit, tot beneficiis gratiis privilegiis ornaverit, omnia ad cultum suum opportuna providerit, suâ præsentiâ dignatus sit, suâ gloriâ impleverit. Unde expende similes esse causas & & circumstantias, ob quas idem DEUS indignatur peccatis Religiosorum & Religionum, ut eos si non in hac vita, saltem post hanc vitam; si non in inferno per æternitatem, saltem in purgatorio etsi temporaliter, gravissime tamen & diutissime puniat. Cui enim plus datū, plus requiretur ab eo. Et si defuerit tot donis & datis, plus punietur præ aliis. Perpende hæc & exhorresce.

Considera 3tiò. Idolum positum in ostio in ipso introitu à Deo appellatum Idolum Zeli, hoc est maxime provocans zelum & indignationem suam (ut interpretatur ex sensu Doctorum Cornelius) unde expende illa Religiosorum peccata ex se gravia, maxime provocare iracundiam DEI, quæ maxime patent, in oculos incurrunt, externos scandalizant, faciunt fætere nomen Religionis: secularium animos & à Religione & à DEO avertunt. Execrare omnia peccata sed præsertim talia.

PUNCTUM III.

Causa & fõtes lapsus religiosorum

CONsidera fontes & causas, ob quas ad tanta scelera & abominationes ipsasq; etiam idololatrias, Templum Jerosolymitanum devenerit? Nempe per consortium cum alienigenis cum gentibus præcipuè cum Aegyptiis, quod tantopere DEUS prohibuit. Quod præcipue Salomonem à DEO avertit, idq; per connubia cum gentilibus fæminis, quæ averterunt cor ejus à DEO suo. Hinc expende non alium fontem esse æquè noxium lapsûs religiosorum in enormia & abominanda peccata, quam conversationem cum secularibus præsertim cum sexu altero. Conversationem inquam nimiam prohibitam, cum dispendio ac præjudicio regularum ac Spiritûs, conversationem secularem: Ubi se accommodant Religiosi moribus externorum, ad mores eorum & placitum se fingunt, in eorum gratiam multa faciunt, quæ nec deceret facere nec expediret. Nimiis sese confidentiis implicant. Inde ab illorum alloquiis ad mores, à moribus ad peccata, à peccatis, etiam ad Apostasias & idololatrias prolabuntur. Examina hic tuas conversationes, quidve in illis corrigendum, emenda.

Colloquium. Congrui materiæ & considerationibus affectus: præsertim imploratio gratiæ & protectionis Divinæ supra tuam religionem, ut sicut illam hactenus à tantis abominationibus protexit, ita & deinceps conservet immunem: cum integra sui nominis fama & æstimatione. Conclude oratione Ecclesiæ. *Defende quæsumus Domine B. M Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.*

MEDITATIO X.

De peccato Luciferi, & viva in eo ipso, tum peccantium, & Apostatarum Religiosorum, tum à Societate dimissorum effigie.

FUndamentum: Visio Apocaliptica Joannis Apoc: 12. Ubi de dracone magno, cum capitibus septem cornibus decem cauda ejus trahente tertiam partem stellarum, & præliante cum Michäéle & Angelis ejus ac tandem in infernum præcipitato.

Prælud: 1. Fiat Imaginatio ejusdem Visionis.

Prælud: 2. Pete gratiam ut te lapsus Luciferi, ejusque damnatio à peccatis deterreat.

PUNCTM I.

Peccatum Luciferi & ejus fons.

COnsidera quodnam illud fuerit peccatum Luciferi? communis sensus est fuisse superbiam & elationem qua se ipsi DEO similem facere voluit, ut illis verbis innuitur: *Ero similis Altissimo* Fontem autem hujus superbiæ fuisse complacentiã, amorem, æstimationẽ sui donorumq; naturalium sibi à DEO collatorum. Hinc ortam præsumptionem, appetitum Excellentiæ & præeminentiæ supra omnes alios, pertinacem resolutionem, nolendi se subiicere Verbo Incarnato: Et tandem superbiam illam & ausum intolerabilem. Quibus perpensis, vide Prima lineamenta Apostatarum à Religione ac dimissorum à Societate. Taliter enim & ii ad Summum scelus & ausum devenire consueverunt, scilicet per nimias in se suisq; talentis complacentias, amorem ac æstimationem sui, præsumptiones appetitus excellentiæ ac præeminentiæ, excussiones

nes

nes ſubjectionis ſuis ſuperioribus: ſimulq; exhorreſce ad id ipſum: quo præcipitat incautos, amor complacentiæ æſtimatio ſui, appetitus excellentiæ præſumptio &c.

PUNCTUM II.

Conſidera quonam peccatum redegerit Luciferum tam inſignem olim & excellentem creaturam? Nempe præter lapſum ac detruſionem illius è Cælo, quam illum fecerit turpem, ac deformem! Quam ſtultum! Quam malitioſum! Quam vilem abjectum & miſerum! Quam omnibus donis ſupernaturalibus nudatum! Quam deniq; gravibus pænis & ſupplicio æternæque damnationi addictum! *Effectus peccati Luciferi.*

Quo ad primum? Quid turpius deformius dracone tam caudato, quid monſtroſius ſeptem capitibus cornibus decem? Et talis omnino illa pulcherrima creatura per peccatum effecta.

Quo ad ſecundum? Quid ſtultius imo amentius, quam adverſus DEUM ejuſq; militiam bellum aggredi, vermi adverſus leonem, Pigmæo adverſus Centimanum Gigantem, pugnam ciere, tenuiſſimo pulveri imo atomo adverſus Olympum conſurgere, radio adverſus ſolem. Et talis omnino tam inſipiens ille Lucifer plenus olim ſapientia, talentiſq; eximiis ornatus, per peccatum redditus.

Quo ad tertium? Quid malitioſius, quàm poſt peccatum malitioſiſſimè commiſſum, non tantum nolle ullatenus reſipiſcere, imo pertinaciſſime in peccato perſeverare, immortales iras adverſus DEUM gerere, impoſſibilitatem ſibi imperare reſipiſcendi, ſcelus deteſtandi: ſed etiam innumeras accumulare malitias probra blaſphæmias. Cerebrum mille modis, mille excogitatis auſibus ac induſtriis fatigare, idq; in odium opprobrium contemptum DEI

Creato-

Creatoris, in diminutionem gloriæ ejus. Parum est etiam tot alios ex Angelis quorum tertiam partem in tanti sceleris & ausus consortium induxit, ex hominibus in complicitatem suæ malitiæ contemptûs blasphæmiarum, damnationis æternæ trahere, atq; in hoc omnes conatus dolosq; exerere: adeo ut si quos inferni participes facere non possit, saltem eo vires intendat, ne magnam in Cælo gloriam adipiscantur. Hinc tot capitibus totidem simul cornua adjunxit, ut quod toxicum capite ac cerebro concepit, hoc cornibus exerat, saltemq; pungat justos & exagitet si interimere non possit? Et plane sic malitiosum Luciferum primum peccatum effecit.

Quo ad quartum. Quid vilius quid abjectiùs? quam sese ad vilissimas ferarum, animalium, insectorum, quas sæpe dæmon induit, formas ac species demittere: tùm ad abjectissima vilissimorum hominum, uniusq; filicernii dejicere obsequia, modo ex illorum sibi annutu suum lucrum referat & secum in baratrum damnationis pertrahat. Quid miserius? quam toties ab inferioribus longe suâ naturâ hominibus viris ac fæminis imo etiam à pueris vinci, contemni desidem, baculo contundi (ut olim à S. Patre Ignatio) unico signo crucis fugari. Et sic certè imbellem, sic abjectum, sic miserum Luciferum peccatum reddidit: Nec verò minus despoliatum tot donis supernaturalibus quibus ante lapsum velut præstantissimis gemmis ac pretiosis lapidibus, imo velut primæ magnitudinis sideribus erat conspicuus. Jam pænas, supplicia damnationem æternitatem quis satis expendat?

Jllud interim perpende, quodvis lethale peccatum similes effectus in hominibus præsertim religiosis, relinquere: ut non memorem, in quam eos deformitatem turpitudinem stultiam abjectionem inducat, ut etiam ad vilissima quæq; & inhonesta ac parum quoq; rectæ rationi consentanea sese deiiciant.

Ubi id peculariter notandum est, quod plerumque religiosi si depraventur, longè deteriores, malitiosiores, magisq; in sceleribus obdurati quam seculares improbissimi evadant, ac etiam profundiorem in inferno locum, ac pænas nanciscantur.

Expende ista similesq; in te effectus reformida.

Jamq; simul vivam peccantium seu Apostatatarum Religiosorum tum Ejectorum à Societate effigiem specta. Specta inquam imprimis omni pœna graviorem pænam, ipsam scilicet Apostasiam sive ejectionem à Religione: specta malitiam, qua plerumq; Apostatæ aut Ejecti à Religione deteriores longe sunt iis qui nunquam in Religione fuerunt aut in hæresi nati sunt, ita ut nihil difficilius illis sit ad resipiscendum; ac si plurimum de inflexibilitate Luciferi participarent: unde etiam hostes ac calumniatores earum Religionum ex quibus ejecti, infensissimi evadunt: totq; alios sive persvasione sive pravo exemplo ad consortium sceleris trahunt: specta stultitiam ac cæcitatem, quod vix advertant unde exciderunt & in quam incidère sortem. Inde est, ut experimento cõstat, quod nontantum donis supernaturalibus, sed etiam naturalibus, talentis scilicet scientiis ipsa sui à Religione ejectione seu apostosia, à DEO nudentur. Hinc tam deformes infames tam contempti & viles tam odiosi apud ipsos etiam hæreticos existunt: & plane ex omnibus miserrimi: Ultra temporanea ac æterna supplicia, quibus in eos divina justitia animadvertere consuevit, uti ex tot nostris etiam domesticis exemplis constat.

PUNCTUM III.

Causæ tantæ divinæ indignationis adversus peccatum Luciferi.

CONsidera quid tandem rei fuerit, quod DEUS tam excelentis & dilectæ suæ creaturæ æstimatione ac commiseratione nequaquam commotus illam defectu gratiæ efficacis in eam obstinationem ruere permiserit,

æternæque damnationi implacabiliter manciparit, ita ut etiam eandem cum aliis naturis Angelicis ad participationem fructuum Incarnationis Passionis & sanguinis Christi, in consortio naturæ humanæ admittere noluerit.

Atq; hinc expende: id ipsum omnino malitiam peccati Luciferi pervicisse. Peccatum enim illud, inprimis erat inexplicabilis superbiæ. Secundo peccatum erat summæ ingratitudinis pro tot & tantis beneficiis excellentiis dotibus &c. Tertio peccatum erat non tam cæcutientis inclinatæ ac propensæ ex sua natura voluntatis, sed illuminatissimi intellectûs. Quarto peccatum cum perspicacissima ac vivacissima deliberatione commissum. Quinto peccatnm non fragilitatis sed defecatæ & exaggeratæ contumaciæ. Sexto peccatum post exactissimam penetrativam offensæ & DEI offensi cognitionem perpetratum. Unde apparet, quod tam materiale quã formale hujus peccati tam grave extiterit ut fuerit indignum amplius gratiâ & veniâ. Præter id quod in loco sancto in cælo inquam absq; omni suggestione absq; occasione peccandi absq; ullo pravo exemplo & scandalo sit patratum.

Perpende ista, similiaq; peccata devita, præsertim peccata, non tam voluntatis quam intellectûs: simulq; adverte eadem peccata talia Apostasiâ, ejectione à Religione, & prænominatis puncto secundo pænis ac suppliciis à DEO puniri.

Colloquium. Lauda DEI judicia & justitiam circa Luciferi damnationem. Pete ne in consortium peccati ac damnationis illius devenias. Recurre ad Angelos præsertim custodes ut te suo foveant patrocinio contra omnes malorum Angelorum ac ipsius Luciferi insultus, ne suggestione eorundem in idem cum illis præcipiteris exitium.

MEDI-

MEDITATIO XI.

De peccatis venialibus.

FUndamentum. Visio Zachariæ Prophetæ quâ vidit *JESUM Sacerdotem indutum vestibus sordidis; Et stabat ante faciem Angeli, & Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei.* *Cap : 3.*

Prælud : 1. Imaginare ex una parte stantem ante Tribunal DEI prædictum sacerdotem sordidis vestibus, Angelo sinistro lateri, satanâ lateri dextro assistente. Ex altera imaginare Hominem præsertim religiosum peccatis venialibus deformatum.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi & detestandi deformitatem peccati venialis.

PUNCTUM I.

Discrimen peccati venialis à mortali.

COnsidera in hoc Jesu Sacerdote sordidis vestibus induto plane expressam & quasi ad vivum depictam personam hominis præsertim religiosi peccatis venialibus sordidati.

Atq; hinc perpende : per peccata mortalia vestem innocentiæ pœnitus deperdi, per peccata autem venialia ; nonnisi maculari, infici, sordidari turpiter ad ipsius etiam fastidium Numinis.

Introspice hic tuam animam, an adhuc vestem innocentiæ retineat ? Si retinet : O quot illa maculis peccatorum venialium sordida. Excute hic tuam conscientiam altem gravioribus peccatis venialib us obnoxiam.

PUNCTUM II.

circumstantia aggravās

COnsidera quid specialis spectaculi aut extraordinarii delicti in hoc Sacerdote Prophetico fuerit, ut sisteretur in

in oculos, produceretur ad Tribunal, indigitaretur, impropriis afficeretur à satana. Fuere utiq; tot alii sordidis vestibus in Israel, nec tamen sic incurrère in oculos & improperia satanæ, non ad Tribunal DEI Judicis producti, non Prophetis indigitati. Nempe Jesus hic non quiscunq; de plebe fuerat: sed homo DEO consecratus, Aaronicus Sacerdos, isq; nomine tam insigni conspicuus: atq; hoc loco denotabantur peccata illius, eaq; non mortalia, sed venialia & quidem levia, ut videre est in commẽtatoribus. Et ecce tamẽ, adeo hæc incurrerũt in oculos & censuram, ut propter illa, improperia in eum à satana jacerentur: ut ad tribunal hic miser sisteretur: atq; sic displiceret ipsius DEI obtutui, ut has sordes & maculas in suo Sacerdote non ferens exclamaverit: *Auferte vestimenta sordida ab eo.*

peccati venialis ex parte hominis religiosi.

Ubi expende quid peccata venialia in homine præsertim religioso, ac etiã nomine Jesu insignito valeant, quam in oculos & censuram mundi, cæli, ac inferni incurrant ut planè religiosis hoc idem contingat, quod soli inscriptum: *spectatur cum deficit.* Quam in ea ipsa peccata satan oculatus ac plane Lynceus, quam illa accurate observet & annotet, suo tempore ante Tribunal DEI eadem exprobraturus. Quam DEUS ipse graviter illa ferat, ante suum Tribunal districte examinet, & absq; dubio non leviter puniat.

Corrige hic judicium tuum de venialibus, teq; ab illis ante mortem tempestive emunda: ne in morte aut post mortem, negòtium tibi ac difficultatem facessant: Neve in similia improperia & imposturas Satanæ præsertim in articulo mortis incidas: ubi cùm peccata mortalia desunt, saltem venialium objectu dæmon moribundos perturbat, & ad desperationem quandoq; sollicitat. Præpara te ad eam horam emundatâ etiam à venialibus conscientiâ.

Non frustra autem prædictum J E S U M ante faciem è diametro Angeli fuisse constitutum adverte: ut scilicet

tanto

tanto magis suam erubesceret fœditatem, qui Angelicam imitari puritatem debuerat. Proinde tempestive tu quoq; provide ne simili ob eandem causam rubore in DEI judicio ante faciem Angelorum suffundaris.

PUNCTUM III.

Effectus peccatorum venialium ex cōparatione vestis sordidæ & maculosæ.

CONsidera effectus peccatorum venialium.

Primo quia sicut maculæ in veste si accumulentur plus & plus, eo illam redigunt, ut ob fastidium & nauseam aut laceretur, aut projiciatur pœnitus in sterquilinium vel in vilem angulum à tineis absumenda. Ita plane peccata venialia eo disponunt sæpe hominem, ut illum DEUS à se sensim projiciat & in peccata etiam graviora ac in ipsam damnationem ruere permittat.

Secundo sicut vestis maculosa & sordida, indigna efficitur illis ornamentis, quæ vestibus aptari consuevère, illis monilibus, gemmis, auro: sic homo per peccata venialia reddit se indignum specialibus DEI gratiis & donis supernaturalibus, quæ illi DEUS alioquin communicasset.

Tertio sicut vestis maculosa inepta est solennibus & publicis usibus & vix nonnisi privatis. Ita homo religiosus per eadem peccata ineptum se & indignum facit, ut eo DEUS utatur ad solenniora & eximia pro sua gloria & salute animarum opera.

Quarto sicut vestis abjectior generosiores spiritus extinguit, & abjectiones animi progenerat: Ita & peccata spiritus eximios & excelsos mentisq; fervorem extingvunt, venialia & quandam animi abjectionem inducunt.

Quinto sicut vestis splendida, à sordibus & maculis immunis reddit in oculis hominum personam honoratam debitaq; observantia conspicuam, è contra autem vestis sordida despicabilem contemptum. Ita etiam immunitas à

noxis venialibus, religiosis apud externos conciliat reverentiam & honorem: è contra inquinata etsi levioribus nævis ac defectibus vita, despicientiam ac depretiationem.

Sexto sicut vestis splendidior nobiliore loco reponitur & asservatur, ignobiliore squallidior: ita à peccatis venialibus immunes, longe digniore loco sunt apud DEUM planeq; à corde: cum è contra illis obnoxii longe inferius locantur.

Septimo sicut in Evangelio detrita veste indutus meruit à nuptiali aula excludi ut dictum illi sit *Amice quomodo huc intrasti?* ita pleriq; per venialia ad exclusionem sui à Religione imo à beatitudine cælesti sese disponunt.

Tandem juxta visionem propheticam eadem venialia accessum præbent diabolo, ut audacius tentationes suggerat, ac sensim etiam ad peccata mortalia ac infernum præcipitet: *Satan* (inquit:) *stabat adextris ejus ut adversaretur ei.*

Prius vero dextram hominis actionum effectricem occupat; ut eundem hominem in salutaribus eximiisque pro DEI gloria & animarum salute operationibus impediat ac debilitet totumq; in manu ejus robur enervet.

His expensis introspice te ipsum & vide, an in te etiam ut graviores licet veniales noxæ, ita iidem effectus locum non habeant? ac proinde quam primum te applica ad emundandam ab hisce sordibus conscientiam, præsertim habendo ad manum tot media, nempe confessiones, actus contritionis, amoris DEI, Indulgentias, Sacramenta, Sacramentalia.

Colloquium ad Christum in passione sputis & colaphis sordidatum, tum chlamyde detrita & squallida ad irrisionem indutum, agnoscendo hæc ipsa tuorum opus peccatorum, per eadem sputa ac illusiones divinam deprecando Majestatem, ne te tot venialium numero commota, in graviora subtractione gratiæ suæ ruere permittat atque

ita

ita à sua facie reiiciat in æternum. Conclude oratione sancti Augustini. *Placare obsecro Domine & miserere, & non avertas faciem tuam à me, quam pro redimendo me non avertisti ab increpantibus & conspuentibus te.*

MEDITATIO XII.

De peccatis Linguæ.

FUndamentum: Visio Apocaliptica Joannis. Apoc: 16. Ubi Joannes vidit draconem, bestiam & pseudcprophetam, de eorumqua ore procedere *tres immundos spiritus in modum ranarum* Ii autem erant congregaturi homines in bellum adversus DEUM.

Prælud. 1. Eadem visio imaginanda.

Prelud: 2. Pete gratiam agnoscendi malitiam & deformitatem peccatorum linguæ, eamq; detestandi.

PUNCTUM I.

Comparatio loquacium cum ranis.

COnsidera: 1. in hac visione adumbrata esse peccata linguæ: planè enim homines sive linguæ loquaces multum habent similitudinis cum ranis. Quid enim turpius ac deformius rana? quid magis garrulum infatigabiliusq; in garriendo? ut die noctuq; plerumq; coaxare non cesset. Quid magis obstrepens cuicunq; obvio & transeunti? Quid molestius auribus, quid pertinacius, quid importunius, quid enormius illarum grarrulitate? Nihil ibi simile cantui Philomælæ, aut suavius, occinentis alicujus volucris, imo nec loquelæ picæ aut psittaci. Non quidquam juxta artis imo rationis leges compositum, nihil præmeditatum, nihil concinnum.

Plane

Planè igitur eadem ſunt linguarum loquacium vitia & proprietates, ut conſideranti patebit. Hinc etiam linguæ loquaces non abſimiles ſunt ranis illis Ægyptiis, quas in Pharaonem totamq; Ægyptum DEUS pro pœna & ſat gravi ſupplicio immiſerat. Et ſanè grande hoc ſupplicium, non levis tortura, ſi in quem DEUS ranas ſimiles id eſt linguarum flagellum immittat. De illis ranis Ægypti expreſſe Exod: 8. *Aſcendent & ingredientur domum tuam, & cubiculum lecti tui & ſuper ſtratum tuum, & in domos ſervorum tuorum, & in reliquias ciborum tuorum &c.* Atq; ita omnino linguæ garrulæ, quibus nihil omnino intactum, nullus ſtatus, nulla conditio, dignitas, talenta, mores, virtutes, nullus locus his vacuus, pleni omnes anguli.

Aliæ adhuc præterea proprietates ranarum ſunt. Imo quod animalcula nimis ſint otioſa. Quid verò otioſius garrulis? occupatos hoc vitium necquidquam etiam tangit. 2do. Quod ſint bibaces, unde continuò ſe ingurgitant aquis, illasq; iterum evomunt. Idem vero vitium garrulorum. Tertiò quod loca paluſtria & lutoſa ament & incolunt. Hinc etiam ſimilis ad immunda quæq; in garrulis propenſio. Quartò: quod unâ & altera rana coaxare incipiente, illico omnes aliæ, in eodem flumine, & in vicinis quibusq; paludibus unius & alterius exemplo, quaſi coniuratæ idem faciunt, in idem quaſi conſpirant. Et ſane eadem omnino eſt linguæ garrulæ contagio.

Hinc jam circumſpice te ipſum atq; expende an etiam tibi ſaltem harum aliquæ proprietates non adhæſerint vel adhæreant?

PUNCTUM II.

Species linguarum variæ.

CONſidera non unam hic ranam de ore proceſſiſſe, ſed triplicem: aliam de ore draconis, aliam de ore beſtiæ, aliam de ore Pſeudoprophetæ. Nempe diverſas eſſe linguarum loquacium ſpecies.

Per

Per ranam itaq; procedentem de ore draconis significantur linguæ malitiosæ virulentæ, fraudulentæ, astutæ; non sinceræ, seminantes discordias, iracundæ, convitiantes &c.

Per ranam de ore bestiæ, linguæ murmurantes sensuales, linguæ spurcitiis & obscænitatibus carnalibus plenæ: linguæ rectæ rationis dictamine sese non dirigentes &c.

Per ranam de ore Pseudo prophetæ linguæ mendaces, detractoriæ, adulatoriæ magniloquæ &c.

Expende, ista, & te supra te ipsum reflecte, an ad aliquam saltem ex istis speciem, tua lingua non pertineat?

PUNCTUM III.

COnsidera quænam damna & mala inferant linguæ garrulæ? nempe etiam non absimilia ranis.

Damna & mala lingvæ garrulæ & loquacis.

Primò. Sicut enim ranæ tam virulentæ reperiuntur, ut etiam halitu inficiant & enecent, ita & hominibus loquacibus nihil virulentius: cùm & se ipsos & alios in fama, in bono nomine, ac sæpe etiam in anima & conscientia si scandalum adfuerit, interficiant.

Secundo sicut ranæ inficiunt flumina & quæcunque loca quæ incolunt, eaq; fætere faciunt, ita garruli religiosi mille impertinentias ac sordes in religiones & claustra invehunt, ut etiam fætere faciant nomen religiosum coram secularibus.

Tertiò quod ut dictum est, magna sit garrulitatis contagio; ut si nihil obsit, tota communitas, unius & alterius exemplo in hoc vitium repente abeat, totaq; domus garrulitate impleatur.

Quarto. Quod de ranis istis apocalipticis dicitur: nimirum quod ad hoc de ore draconis, bestiæ, & pseudo prophetæ processerint, ut congregarent & concitarent ad bellum. Et planè hoc malum à linguis loquacibus ortum

habet. Nempè quod linguæ garrulæ pacem domesticam perturbant, mille turbas dissensiones lites inimicitias, odia inter æquales, superiores, inferiores excitant: adinstar ranarum, quarum garrulitas tempestatem portendere consuevit.

Quintò. Quod eædem ranæ ab ore (ut supra dictum) draconis id est diaboli prodierint. Nempe linguæ plane sunt instrumenta diabolica, quibus ille omnia mala in communitatibus ac orbe toto perpetrat, suasq; pravas intentiones perficit.

Expende ista & alia quæ occurrent, teq; recollige, an etiam per tuam linguam & garrulitatem similium damnorum malorumq; non fuisti causa & occasio?

Colloquium & affectus ad Christum coram Pilato & Herode tacentem, necnon linguam ejus felle & aceto mortificatam, osq; crudeliter contusum, cum aspiratione Davidica: *Pone custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labiis meis.*

MEDITATIO XIII.

De paccatis calami.

Fundamentum: Visio Esechielis cap: 9. & 10. Ubi sex viri deputati ad delendam Jerusalem: *uniuscujusq; vas interitus in manu ejus: Unus autem ex illis vestitus lineis & atramentarium scriptoris ad renes ejus. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam Civitatem in medio Jerusalem, & signa Thau super frontes virorum.* Iterumq; dictum ad eundem: *Imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt subtus Cherubim & effunde super Civitatem.*

Prælud: 1. Imaginatio ejusdem visionis.

Prælud: 2. Petitio gratiæ, ut expensa malitia peccatorum calami detesteris eadem.

PUNCTUM I.

Considera: Etsi hæc visio Prophetica possit & debeat in alio sensu & interpretatione accipi, posse tamen eâdem adumbrari peccata calami religiosi.

Calamus non religiosus vas interitus.

Unde expende primo: Quòd hic vir atramentarium habens ad renes seu à tergo dependens fuerit ex illis sex viris (ut Ezechiel testatur) in quorum uniuscujusq; manu erat vas interitus, nempe gladius, falx securis, lancea &c. ac proinde coniectura esse potest, quod in hujus scriptoris manu, non aliud convenientius vas interitus fuerit, quam ipse calamus. Et certè unde gravior sæpe interitus quam à calamo? Scimus quid calamus in judiciis, in consiliis in manibus Principum, judicum & quorumvis aliorum valeat, quomodo à calamo mille tormenta, bella, mortes, excidia prodeant. Hinc etiam *litera occidit.* Jam quid ultra agat calamus, satis novimus cum fama aliena, talentis, virtutibus, quam ad internetionem usq; omnia subruat ac deleat.

Vide an hoc etiam vas interitûs non sit aut non fuerit aliquando in manu tua? ac simul expende, quæ possint aut consueverint esse peccata calami, atq; occasiones scripto nocendi alijs eosdemq; interimendi? Illæ scilicet scriptiones non tam officiosæ quam diffamatoriæ, detractoriæ, Jllæ informationes sinistræ. Illa judicia quæcunq; censuræ. Illæ literæ ad altiores superiores ad æquales quoscũq; &c. Vide quomodo te in his aut gessisti, aut gerere abhinc debeas?

PUNCTUM II.

Considera. Quid egerit hic vir propheticus atramentarium præferens?

Calami religiosi seu potius irreligiosi adjuncta & effectus.

Nimirum primo quod visus est signare Thau in frontibus virorum, hoc est juxta interpretes crucem imprimere,

Unde expende quid faciant illi Scriptores parum religiosi? scilicet quod illos ad hoc forte DEUS conservet & toleret; ut suis calamis aliis cruces provideant & fabricent. Vide an non tu etiam fuisti aliquando tua scriptione & calamo alicui causa & faber insignioris crucis & afflictionis immerito toleratæ.

Considera 2dô. Quod idem scriptor acceptis carbonibus & prunis jussus eas super Civitatem effundere. Ubi expende quid scriptori quid calamo ad prunas ad ignem ad incendium? Nempe talium scriptorum esse, subjecta etiam eximia, personas alioquin talentatissimas famamq; & æstimationem illarum turpiter velut carbone denigrare; eoque suis calamis redigere; ut in religione omni honesto & fama non tantum denigratâ, verum etiam quasi exustâ, sub modio vivere, ad mortem usq; infames ac miseri delitescere, ac pænè in favillam abire cogantur. Non aliter quam dum ignis in excelsas turres ac ædificia grassari consvevit. Felix ille in quem hæ prunæ & ignis tanquam in aurum inciderint, ex quo eo pulchrior & nitidior coram DEO evadat. Expende & illud: quanta incendia tales scriptores in communitatibus excitent, incendia inquam suspicionum, odiorum, dissensionum, litium.

Considera 3tio. Hunc virum scriptorem prunas assumere jussum *subtus Cherubim* hoc est ut in commentatoribus videre est, de prunario quod erat ad altare timiamatis. Ubi expende simile quid facere præfatos scriptores, qui ansam & venam suarum scriptionum, accipiunt tanquam prunas de altari, scilicet ex ipso sapientissimè planèq; Cherubicè conscripto instituto? ex sacrario Regularum de delationibus. Verum hisce prunis non juxta intentionem instituti utuntur imo abutuntur malitiosissimè. Vide an non fueris è numero talium incendiariorum? aut ne sis aliquando.

Considera quartò. Eos quoq; prunis & igne pro calamo seu etiam calamo ignito uti, qui incautis & nescio quibus correspondentiis cum periculoso sexu sese implicant.

Unde

Unde constat, qui inde ardores ac incendia erumpant. Præterea illos uti prunis & carbone pro calamo qui alios calumniis denigrant. Obfirma te adversus talia, ne inter similes carbonarios famam & honestum alienum denigrantes, aut Herostratos inveniaris.

PUNCTUM III.

Considera quod quamvis aliqui interpretes hunc prædictum scriptorem existiment fuisse Angelum malum: plures tamen opinantur Angelum bonum. Unde expende inprimis quam ille methodum in suo stylo & scriptione tenuerit?

Modus utendi religiosè calamo religioso.

Primò quod non odio, non passione, non vindicta non innata levitate & præcipitantia, sed Deo solo dictante & jubente omnia perfecerit: *Dixit* (inquit Propheta) *Dominus ad eum.*

2dò. Quod atramentarium à tergo suspensum habuerit: Nempe quod non habuerit illud semper præsto ad manum, non in oculis, ut ad primum aspectum omnia illico annotaret scriberet: Adeoq; non fuerit nimis promptus calamo, nimis expeditus ad scribendum quodvis modica consideratione imo religiositate.

3tio quod illas prunas non aliunde, sed *subtus Cherubin* ab altari assumere jussus. Cherub autem utpote speciali intellectûs perspicaciâ pollens interpretatur *scientia.* Nempe in talibus prius consilium ab Cherubim hoc est ab intellectu, à prudentia religiosa capiendum. Prius juxta regulam recurrendum ad altare ad orationem ad DEUM.

4tò. Quod prædictus scriptor non ad afflictionem aut internecionem literam thau frontibus virorum imprimebat, sed potius ad protectionem ac defensionem eorundem ab interfectoribus Angelis: *super quem* (inquit) *videritis thau, ne*

occidatis. Et hoc plane boni Angeli est, uti calamo & ſtylo non ad nocumentum ad ruinam, ſed ad protectionem alterius: nec retegere aliena delicta, ſed velare: *duabus* (inquit) *alis velabant faciem ejus duabus pedes.*

5tò. Quod pro atramentario Symmachus legat *tabellam*, non trabalem tabulam in qua ſcilicet erant peccata civitatis Jeruſalem deſcripta, & quidem in compendio ſine ulla exaggeratione, additamentis, amplificationibus: peccata autem non levia ſed grandia manifeſta, ob quæ extremis ſuppliciis merito erat delenda Civitas. Non ut illi qui non tabellas ſed integras philuras, terniones, codices alienis defectibus imo ſuſpicionibus implent. Ubi expende: quænam debeat eſſe noſtrarum ſcriptionum materia & praxis? Nempe non ſuſpiciones meræ non leviora quædam.

Inſuper illud etiam adverte, quod hæc tabella à tergo (ut ſupra dictum) erat dependens: atq; utinam & nos, noſtra peccata præ oculis, aliena à tergo haberemus: niſi aliud ratio officii, ratio ſcandali, ratio inſtituti, ratio boni communis perſuadeat. His expenſis vide quisnam tibi quoq; in tuis ſcriptionibus modus tenendus ac obſervandus eſt?

Colloquium & affectus ad Chriſtum patientem, inique conſcripto decreto ad crucem & mortem turpiſſimam condemnatum. Te ipſum offerendo eidem ad omnes ſiniſtras delationes, informationes, calumnias, cavillationes pro eodem Chriſto Suſtinendas.

MEDITATIO XIV.

De cauſis ruinæ in Viris Religioſis.

FUndamentum: Viſio ſeu potius ænigma in Viſione Ezechieli à DEO propoſitum cap: 17. *Aquila grandis*

magna

magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, summitatem frondium ejus avulsit & transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam.

Prælud: 1. Imaginare tibi hanc ipsam visionem aut ænigma propheticum.

Prælud : 2. Pete gratiam expendendi causas similis jacturæ & ruinæ in viris religiosis easq; evitandi.

PUNCTUM I.

Causa ruinæ in viris religiosis vanitas mundana per Aquilam Esechielis adumbrata.

COnsidera in hac visione seu ænigmate adumbratas esse causas ruinæ in viris religiosis.

Atq; hic expende primo per istam vastam Aquilam posse intelligi vanitatem secularem & mundanam: per duas alas easq; magnas quibus attollitur, divitias & honores: Per plumas & varietates : varias mundi & carnis illecebras voluptates delicias solatia &c. Per Libanum intelligi Religionem, per cedros viros religiosos sanctitate conspicuos.

Hinc expende secundo eandem Aquilam licet jam à viris religiosis in ipso religionis ingressu, extra claustrum relictam & spretam, imò quodammodo per heroicas patrimoniis fortunis honoribus abrenuntiationes aut de iisdē dispositiones deplumatam, veluti succrescentibus iterum plumis volare ad Libanum hoc est ad religiones earumq; claustra, secumq; deferre splendidas illas honorum ac divitiarum alas, sexcentas illecebrarum mundanarum varietates, has easdem ostentare sedulo, in animos lente & suaviter sese insinuare. Non alio fine, quam ut his omnibus invitamentis, viros religiosos alioquin firmiter in spiritu fundatos cedrisq; non absimiles cogat ad ruinam, funditusque illorum religiositatem & Sanctimoniam eradicet; nihil dubitans, illos iis ipsis illecebris iterū facile adhæsuros, quas olim generosè contempserant.

Unde

Unde expende ulterius, quam hæc omnia illi è voto succedant, quam se efficaciter vanitas hæc in corda religiosa insinuet, quantum ipsimet religiosi istis ipsis capiantur teneanturq; arctissimè, quæ antea propter DEUM conculcaverant, ita ut mundum cui valedixerant in ingressu, iterum intra claustrum reinducant, eaq; ipsa quæ infra pedes miserant, ad manus imo ad cor reassumant, atq; sic sibimet suæq; religiositati sponte ruinam accersant.

Ex quo conclude causam ruinæ in viris religiosis, causam & fontem collabentis religiositatis non aliam esse quam id ipsum, quod in ipsis mundus secularismus cum sua vanitate & illecebris, olim prostratus calcatusq; & quasi emortuus reviviscat ac in pedes assurgat. Cadit nempe eo ipso nostra religiositas, cum in nobis mundana vanitas sese in gradum erigit, emoritur illa & occidit, dum hæc caput rediviva attollit, pellitur illa, dum ista admittitur.

Deplora hic amentiam eorum religiosorum, qui ita sibi à vanitate mundi illudi permittunt. Reflecte te supra te, an non etiam hâc viâ ad tuæ religiositatis ruinam duceris. Vide quantum apud te hæc ipsa etiamnũ valeant? quæ propter DEUM reliquisti & contempsisti. Quantum valeat mundana vanitas, honores, divitiæ, illecebræ solatiola, quove animo & affectu sis erga ista?

PUNCTUM II.

Artes ac ingenium vanitatis in impellendis ad ruinam viris religiosis, ejusq; ruinæ initia.

Considera quid egerit Aquila hæc cum Cedro Libani? Nempe *tulit medullam & summitatem frondium ejus avulsit.*

Ubi expende, per medullam intelligi posse primævum Spiritum, in quo totus religiositatis vigor fundatur. Per summitatem frondium intelligi substantialia religiosæ vitæ, qualis est observantia votorum religiosorum amor paupertatis castitatis &c. amor vocationis, conjunctionis cum Deo per meditationes & orationes mentales & vocales.

Unde hinc conclude vanitatem mundi, quæ nos ad ruinam sollicitat, pro principali aggredi primævum nostrum Spiritum, ut illo nos despoliet. Tum præfata substantialia, quibus prostratis, ac pœnitus avulsis, iam nihil amplius in tota religiositate subruenda negotii habet,

Vide an in te etiam conatus & artes vanitatis mundanæ eo non processerint, proximumq; saltem te ruinæ non reddiderint? Vide quid in te primævi Spiritûs, quid substantialium religiositatis, quæ observantia votorum? Quis amor vocationis conjunctionis cum Deo &c.?

PUNCTUM III.

COnsidera quò amplius hæc præfata Aquila cum Cedro Libani processerit? Nempe quod medullam ac summitatem frondium ejus in terram Chanaan in urbem negotiatorum hoc est in Babylonem transtulerit. *Progressus & exitus ruinæ in viris religiosis.*

Ubi expende simile quid agere vanitatem mundi cum primævo religioso spiritu. Nimirum transferre illum è Libano quietis religiosæ in Babylonem confusionis mundanæ, committendo eundem negotiis & negotiationibus secularibus, & quasi nundinis cum tota supellectili virtutum religiosarum ac meritorum exponendo, idq; vili omnino & longe impari commutatione, nempe pro brevibus & evanidis solatiolis, vanitatulis, illecebris, reculis, nugis, nimis modico aut nullo lucro, ingenti primævi spiritûs, ac religiositatis jactura & ruina ipsius.

Vide an non etiam tu inter hos imprudentes negotiatores inveniaris?

Colloquium & affectus ex verbis Apostoli: *Qis me separabit à charitate Christi?* &c. cum humili agnitione & professione propriæ fragilitatis imbecillitatis & conditionis humanæ ex se ipsa ad lapsum & ruinam proclivis ac simul cum petitione gratiæ efficacis, quæ te custodiat & sustentet

 à lapsu

à lapsu: ad quod uti poteris illa oratione Ecclesiæ: pro Dominica 24. à Pentec: verbis ad te ipsum directis: *Custodi Domine famulū tuum propitiatione perpetua, & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis, & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur.*

MEDITATIO XV.

De ruina magnorum virorum in religione.

FUndamentum. Visio Nabuchodonosoris Dan: 4. *Videbam & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia, magna arbor & fortis, & proceritas ejus contingens cælum, aspectus illius erat usq; ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro. Et ecce vigil & sanctus de cælo descendit clamavit fortiter & sic agit: succidite arborem & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus, fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite.*

Prælud: 1. consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi similem seriem ruinæ magnorum virorum in religione, eamq; præcavendi.

PVNCTVM I.

Comparatio religiosi viri cum arbore Nabuchodonozoris.

EXpende ex una parte adjuncta arboris quam vidit Nabuchodonozor: magnitudinem, robur, proceritatem, foliorum pulchritudinem fructuum abundantiam &c juxta id totum quod in præfata visione Regi Babylonio exhibitum.

Ex

Ex altera parte expende adjuncta magnorum in religione virorum per comparationem eorundem cum prædicta arbore. Qualia sunt : magna inprimis ac sæpe robusta id est solida sanctitas : altitudo ac proceritas doctrinæ eaque contingens cælum suâ sublimitate & excellentia supra alios, rerumq; ultra naturalium scientia: aspectus ad terminos universæ terræ, idest omniũ in mundo rerum cognitio,omnium artium peritia, totius mundi, usq; ad fines terræ Cosmographica Geographica notitia. Folia pulcherrima, id est eximia talenta,dotes, lucubrationes, acceptationes apud externos. Fructus nimius, id est virtutes merita præclarè facta, gratiæ divinæ, dona spiritualia: Esca universorum in ea : id est instillatio & subministratio alimentorum spiritualium scientiæ,eruditionis omnigenæ cuivis statui conditioni ac ætati hominum per magisteria, conciones confessiones aliaq; obsequia. *Super eam animalia & bestiæ* : id est edomitæ ac cicuratæ passiones. In ramis ejus volucres id est pulcher omnium virtutum affectuum morum religiositatis concentus ac in Deum volatus. Quid igitur tali personâ, religiosâ excellentius quid dignius? Vide quid inte simile?

PUNCTUM II.

COnsidera ex una parte ruinam & excidium illius Regiæ arboris, ejusq; ruinæ seriem: quomodo vigil & sanctus de cælo descenderit, feralem tulerit ac proclamaverit sententiam : *succidite arborem excutite folia, dispergite fructus, fugiant animalia & bestiæ, verumtamen germen radicum ejus in terra sinite.*

Series ruinæ in præfata arbore & ho... ne r...

Ex altera parte considera similem seriem in ruina primo puncto descripti religiosi. Nempe quomodo vigil & sanctus cujus oculis intima quæq; patent, nec secundum intuitum hominis judicat, exosus occultam aliquam ejus

malitiam ferali eundem subiicit sententiæ, submittit aut permittit tentationes velut quasdam expeditas secures: & ecce præcelsi illi virtutum meritorumq; decedunt rami, defluunt exterioris Sanctimoniæ, talentorumq; folia: dilabuntur meritorum gratiarumq; divinarum fructus, efferascunt passiones, & quæ velut compeditæ se intra se tenuerant, ad extra prodeunt ac erumpunt: omnis actionum morum religiositatis concentus evanescit: ac tandem tota illa arbor magnificentissima casu dolendo corruit. Expende penitiùs hanc ruinam, illamq; in te ipso extimesce.

PUNCTUM. III.

Causæ ruinæ tam in illa arbore quam in viro religioso.

COnsidera ex una parte causas ruinæ in prædicta arbore: nempe non aliæ forsitan erant, quam præter superbiam & elationem aliqua fidentia & securitas in eo quod satis superq; sibi videretur essetq; plurimum radicata, robusta, suppar abundanter omnibus insultibus superandis; quod tot jam annis perduraverit & steterit innocua & illæsa: nec unam impetitionem ac insultum toleraverit viceritq; Neq; vero illud etiam extra causas numerandum: quod nimietate quadam & excessu exotico in altitudine & abundantia fructuum laborabat: nam etiam *segetes nimia sternit ubertas.* Tum quod se nimis cuicunq; ad omnium usus communicabat ac prodigebat: *Ex ea* inquit *vescebatur omnis caro.*

Atq; sic ex altera parte non dissimiles causas ruinæ in magnis viris religiosis cogita. Nimirum aliquam præfidentiam securitatem ex eo ortam, quod sibi videantur bene radicati in virtute, satis bene provisi, & obarmati adversus quoscunq; insultus ac tentationes, quod tot jam annos in religione, integrâ conscientiâ religiositate famâ religiosâ consumpserint: quod tot adversa sustinuerint, tot occasiones superaverint.

At

At præter hæc novimus non uni exoticam quandam sanctitatem, exoticum modum agendi obfuisse, qualis erat (ut cæteros non memorem) in Ochyno. Jam quid sentiam, de nimia ad usus & obsequia quorumcunq; proximorum & cujuscunque conditionis Status sexus communicatione ac pæne prodigentia sui?

Expende has aliasq; quæ occurrerint causas, expende inquam ut decet & necesse est eas expendere: atq; sic ut easdem evites, nec unquam tibi fidas securusq; sis, animum Dei timore obfirma.

In colloquio confuge ad arborem crucis Christi salutiferam, & ad fructum in ea dependentem: nempe ipsummet Christum, eum ambabus manibus ne unquam prolabaris amplexando, & supplicando eidē, ut te suâ gratiâ suæq; crucis sustentet præsidio, nec aliquando prolabi permittat.

MEDITATIO XVI.

De effusione Sui ad exteriora præsertim conversationem cum sæcularibus.

FUndamentum Visio per somnium Magistri Pistorum Regis Pharaonis Gen: 44. *Vidi* (inquit) *somnium quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avesq; comedere ex eo.* Respondit Joseph: *Hæc est interpretatio somnii: Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce & lacerabunt volucres carnes tuas.*

Prælud: 1. Fiat imaginatio hujus ipsius visionis.

Prælud: 2. Petito gratiæ in hac eadem visione agnoscendi damna effusionis sui ad exteriora præsertim ad conversationem eiq; modum imponendi.

PUNCTUM I.

Quid per pistorem & canistra intelligendum? & quam negligens apud plerosq; religiosi spiritus conservatio.

COnsidera per hunc Præfectum pistorum intelligi posse quemcunque religiosum. Per canistra farinâ panibus & cibis omnis generis onusta, intelligi supellectilem virtutum, devotionum privatarum, industriarum, totiusq; apparatus religiosi in Novitiatu & deinceps collectam & præparatam, quam religiosi homines commeatus gratiâ pro tota vita perquam diligenter asservare debent. Sed heu quam misere illam prodigunt & dilapidant, quam imprudenter hoc penu evacuant ac dissipant.

Excute hic tuam quoq; supellectilem spiritualem. Inprimisq; dispice, an hæc tibi per tempus Novitiatus ac postea satis manserit instructa & accumulata? Tum adverte an apud te eadem ipsa supellex etiamnum in integro? an in integro primævus Spiritus & fervor, an in integro virtutes religiosæ, an in integro usus devotionum, industriarum, actuum?

PUNCTUM II.

Effusio ad exteriora & conversatio, præcipua deperditæ religiositatis causa

COnsidera hæc prædicta canistra cum farina panibus & cibis, portasse Præfectum pistorum supra caput suum, illaq; nuda non operta non clausa exposuisse perflantibus ventis & aëri, tum convolantibus undequaq; volucribus. Atque per hæc intellige effusionem ad exteriora, præsertim ad conversationes nimias, venditationem suæ personæ suorumq; talentorum, captationem nescio cujus publicitatis, auræ popularis, vanæ gloriæ acceptationis plausuum apud externos, notitiarum, amicitiarum favorum, affectuum, tractationum, munusculorum, communicationum cum secularibus. Et hoc nihil aliud esse quàm pretiosum illum commeatum direptioni, se autem extremæ inopiæ & fami spirituali exponere.

Unde

Unde expende ſeculares plane eſſe ſuaviter occinentes volucres : cicurantur illæ noſtrorum converſationibus, blandè noſtris auribus modulantur, dum coram laudes plauſus affectus, neſcio quas teſtificationes accumulant, ſuis hiſce concentibus & alloquiis non parum delectant. Præterea capiuntur quidem & illæ noſtris ſermonibus, noſtra urbanitate ; noſtræ affabilitate converſationis, ſed & capiunt. Trahuntur nonnihil ad amorem virtutis, ſed magis trahunt ſuis moribus, exemplis ad amorem mundi. Tractant lautis conviviis, propinant, ſed interim ſenſim in nobis fervorem ſpiritus, omnem religioſam alimoniam abſumunt ita ut de multis illud verificetur : *Alieni comederunt robur ejus, & ipſe ignoravit.*

Vide an non ſimile aliquid in te ipſo contingat ?

PUNCTUM III.

CONſidera exitum hujus Præfecti Piſtorum ? Nempe quod Pharao caput ejus abſtulerit ac ſuſpenderit eum in cruce, ita ut eædem volucres, quæ de ejus caniſtris edebant, lacerarent carnes ejus. Ubi expende ſimilem eſſe eorum conditionem ac tragædiam, qui ſe imprudenter ac immoderate ad exteriora, præſertim ad converſationes effundunt Nimirum poſt evacuatum penu religioſum, extremâ in ſpiritu divexantur inopiâ, totieſq; in cruces à ſuperioribus ſuis ob defectus ex ea occaſione admiſſos aguntur, ipſis etiam quandoq; inſultantibus iis ſecularibus, qui coram applaudentes, extra oculos, eorum in converſationibus libertatem ac nævos ſugillant, carpunt, pro carne famam lacerant.

Exitus religioſorum ad exteriora ſeſe effundentium.

Hinc conſidera 2do. Quod ſicut ille Præfectus Piſtorum (ſi tunc vigilaſſet) melius ſibi providiſſet, ſi panes illos ciboſq; publico nequaquam expoſitos, in penu recluſiſſet, aut certe illas importunas adulatriceſq; volucres abegiſſet à ſe potius, aut ſaltem expediiſſet ſuaviter, quàm

convocaſſet. Ita utinam etiam illi, qui adeò ſe in exteriora & publicum effundunt, ſe in privato intra cellas & clauſtra in angello cum libello idq; amore ſolitudinis & quietis religioſæ continerent, efficaciſſimo ſanè medio ad conſervationem commeatûs ſpiritualis totiusq; religioſitatis ſuæ, & tunc nonniſi ad converſationes prodirent, cum non pruritus neſcio quis mundana captandi ſolatia, ſed religioſus zelus, aſſenſus nutusq; ſuperiorum, regularum præſcriptum, ſuadent & permittunt.

Vide quis in te amor ſolitudinis religioſæ, cubiculi, animi recollecti, quietis & clauſuræ domeſticæ? Circumſcribe abhinc tuas converſationes, ante hac parum moderatas & religioſas.

Colloquium & affectus ad JEſum & Mariam, aſpirando ad ſtrictiſſimam cum illis neceſſitudinem, execrandoque omnes alias cum mundo mundanisq; religioſitatem diſſipantes converſationes & alloquia. Jeſu & Maria amores mei dulciſſimi, vobiſcum ſemper vivam, vobiſcum moriar, totus ſim veſter, nullus mundi, nullus meus. Tota mea vobiſcum converſatio, tota converſatio in cælis, non in terra.

MEDITATIO XVII.

DE OTIO.

FUndamentum: Viſio Jeremiæ cap: 13. in qua apparens Dominus Prophetæ dixit ad eum: *Tolle lumbare* (hoc eſt baltheum aut aliquod veſtimenti genus) *quod eſt circa lumbos tuos & ſurgens vade ad Euphratem, & abſconde ibi illud in foramine petræ Et abii & abſcondi illud in Euphrate. Et factum eſt poſt dies plurimos, dixit Dominus ad me: ſurge, vade ad Euphratem, & tolle inde lumbare. Et abii & fodi & tuli lumbare de loco, & ecce computruerat, ita ut nulli uſui aptum eſſet.*

Præ-

Prælud : 1. Imaginatio ejuſdem viſionis.

Prælud : 2. Petitio gratiæ agnoſcendi ex occaſione viſionis præfatæ damna & mala otii illudq; deteſtandi.

PVNCTVM I.

COnſidera primo per hoc veſtimenti genus adumbrari viros religioſos otio deditos. Sicut enim illud veſtimentum, quamdiu in uſu prophetico fuerat, tamdiu fuit integrum & proficuum. Poſtquam otioſe delituit, ſordidè computruit, ut nulli uſui aptum eſſet. Ita planè religioſis viris nihil tam noxium damnoſumq; quam otium, ita ut quidquid in illis boni virtuoſi laudabilis; hoc totum abſumat & peſſundet, Spiritum doctrinam talenta. Adeo ut etiamſi neſcio quam inſignes in omni genere per tempus inſtitutionis religioſæ ſive ſcholaſticæ ſive Spiritualis evaſerint ; poſtquam ſe dederint otio, his omnibus orbati & inopes compareant, nec ad quidquam in religione idonei videantur, ſive ad Cathedras Scholaſticas ſive exedras concionatorias ſive confeſſiones audiendas aliaq; miniſteria &c.

Mala & damna otii.

Hinc expende pleroſq; eſſe, qui prætextu ſanitatis, labores & munia religioſa ſubterfugiunt excuſant, ingruente aliqua laboris aut functionis ſubeundæ occaſione ſubtrahunt ſe, occultant, & abſcondunt. (*abſconde* inquit, *illud idest lumbare*) quiete ſibi opus eſſe apud ſuperiores prætendũt, & ſic ad otium prolabuntur. Revera autem eos graviſſimè decipi, & loco recuperandæ valetudinis, confirmandarum virium, ſanitatem nimio ſitu & deſidiâ abſumere, ſenſim ſine ſenſu contabeſcere ac computreſcere deniq; ſordidiſſime. Non aliter quam ferrum, quod longo ſplendeſcit ab uſu, otio & rubigine conſumitur. Unde novimus viros in Religione laborioſos non paucos, eosq; ſatis incólumes ſatis robuſtos, pharmacorum parum indigentes. Viros autem non multum occupatos, plerumq; langvidos infirmos,

totos in apothecis & pharmacis absumendis.

Unde ulterius animadverte: sicut vestem usu laceram, ad aliquid saltem aptari posse, putridam non item, ita ut hæc nonnisi in sterquilinium ejici mereatur. Ita viros labore enervatos & laceros, alicui usui Religionis servire consuevisse, otiosos mera obstacula & probra, frustra locum in religione occupare.

Quibus expensis elige utrumlibet, sive vitam laboriosam sive otiosam. Teq; reflecte: quis in te vitæ laboriosæ amor, quis amor valetudinis tali medio, hoc est otio atq; adeo jacturâ spiritûs, talentorum, meritorum, conservandæ?

PUNCTUM II.

Nihil damnosius otio cum affluentia rerum & cōmoditatibus conjuncto.

COnsidera hoc propheticum lumbare ad Euphratem fluvium, qui frugifer fructificans fecundus interpretatur, adeoq; inter affluentiam rerum, (locus enim ille erat omnis ubertatis & abundantiæ) otio computruisse. Nempe nihil esse pejus & damnosius otio cum affluentia rerum commodorumq; coniuncto.

Considera 2dò. Hoc linteum non intra domum prophetæ sanctam & religiosam, sed extra domum ad Euphratem ad Babylonem otio delituisse. Nimirum viros huic vitio deditos non libenter intra clausuram teneri, ægrè sub disciplina religiosa vivere, domi tædio affici, Babylonem aspirare, hoc est vitam extra claustrum in mundo mundanisq; laribus cum gustu & contentatione degere, ad fluvium Euphratem prospectare, hoc est fluxis transitoriis bonis & solatiis delectari.

Hinc expende quod in te affluentiæ & commoditatum studium: quis clausuræ amor, quis de vita alibi extra domum agenda sensus? quod domi tædium: quis in secularium convictu animus complacentia & gustus? Quis ad fluxa & transitoria bona & solatia præsertim ad esculenta & potulenta appetitus?

PUN-

PUNCTUM. III.

Consideraulteriores effectus otii: nempe quod non tantum otium religiosos eo redigat, ut nulli usui apti efficiantur, sed etiam insuper magno sint positivè Religioni incommodo. Sicut enim ex putri, non tantum nihil boni enascitur, sed multa etiam mala & damnosa fætore non mediocri progignantur vg. Illæ muscæ importunæ, quemvis circumvolitantes, inquietæ, ranæ garrulæ, mures fruges tantum consumere nati & innumera alia insecta, etiam venenata: illi quoq; deformes molestiq; vermes, illi culices pulices &c. Ita planè ex putrescentibus otio religiosis non tantum nihil emolumenti colligitur sed pæne etiam innumera mala: illæ garrulitates, sugillationes, censurationes aliorum, morsus venenati, seminationes discordiarum, murmurationes, importunitates, inquietudines, quibus totam domum commovent & perturbant, ut nullum nihilq; intactum relinquant: cùm non habeant aliud quod agant: ut merito tales, fratres muscæ, imo flagella communitatum, Superiorum, æqualium nominentur: ut omittam quod vermibus, hoc est flagitiis otio progenerari solitis talium conscientiæ scatent: quantumve nomen religionis ob suam putredinem fætere faciunt.

Ulteriores effectus & damna otii.

Considera præterea per hoc linteum intelligi à commentatoribus puritatem conscientiæ sive castitatem & fortitudinem. Unde expende quam inimicum sit otium puritati seu castitati & fortitudini. Quid enim castitati cum putri cum fætore? Quid puritati cum tot vermibus ac sordibus? Jam de fortitudine illud etiam constat, quod otium religiosos enervet adeo, ut non tantum nihil boni & magni audeant aggrediantur q; sed etiam minimis tentationibus suggestionibus mundi, carnis, resistendo impares sint, modica adversitate ac vicissitudine frangantur, debilissimo cuivis succumbant insultui, imo illecebræ: ab uno dæmone eoq; miserrimo, nullo negotio superentur,

Reflecte te an tibi, etiam eousq; otium non prævaluerit? Præcipue quis in te adversus tentationes animus & robur?

Colloquium ad Christum sub onere crucis laborantem defessum ac concidentem, imo à juventute laboribus innutritum, totâq; vitâ, nullo ab illis cessantem respirio Cum protestatione quod eligas cum eodem Christo potius laboribus immori, quàm otio respirare ac delitescere. Offer & consecra ad hosce labores pro Christo, ejusque gloria & animarum salute subeundos, omnes tuas vires, incolumitatem, vitam totam & sanguinem.

MEDITATIO XVIII.

De Sensualitate in refectione corporali.

FUndam: Visio militis è castris Madian: Judic: 7. *Vidi somnium & videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volvi & in castra Madian descendere: eumq; pervenisset ad tabernaculũ, percussit illud atq; subvertit, & terræ funditus coæquavit. Respondit is cui loquebatur. Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis Filii Joas: tradidit enim Dominus in manu ejus Madian, & omnia castra ejus.*

Prælud: 1. Consuetum.

Prælud: 2. ex occasione apprehensæ hujus visionis pete gratiam expendendi damna & mala ex sensualitate in refectione corporali provenientia eamque detestandi ac eradicandi.

PUNCTUM I.

Quantus hostis religiositatis sensualitas.

COnsidera per hunc panem subcineritium posse intelligi sensualitatem in refectione corporali.

Ubi ex una parte expende, quidnam panis subcineritius egerit in castris Madian? Ex altera parte quidnam,

agat

agat ſenſualitas in caſtris religioſis? Nempe ſicut panis ille tabernaculum militare percuſſit, ſubvertit, terræ coæquavit: ita ſenſualitas, ſimiliter caſtra religioſa ac ipſam religioſitatem aggreditur eamq; etſi firmiter ſubſiſtentem evertit: & quæ jam cælo ſeſe videbatur admoviſſe, terræ coæquat, id eſt ad terrena cor & affectum inclinat ac deprimit.

Unde adverte ulterius ſicut de illo pane ſubcineritio unus militum proclamavit: *Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis* Gedeon autem interpretatur *conterens.* Ita de ſenſualitate ſentiendum; quod illâ dæmon noſtræ religioſitati capitaliſſimus hoſtis utatur tanquam validiſſimo enſe aut ariete ad eandem religioſitatem conterendam. Hinc etiam Chriſtum taliter in deſerto aggreſſus.

Expende iſta ac incipe ſenſualitatem plus ſuſpectam habere, quam hactenus habueris.

PUNCTUM II.

COnſidera modos, quibus aggreditur ſatan per ſenſualitatem religioſos. *Qua arte & modo Religioſitatem aggreditur.*

Ac inprimis adverte panem illum non fuiſſe excellentioris alicujus materiæ, non ex ſaccaro non ex amigdalis imo nec ex tritico ſed ex hordeo. Ita ſcilicet Dæmon plerumq; non excellentioribus nos aggreditur eduliis appetitumq; noſtrum irritat ſed ſæpe ſimplicioribus ac vilioribus.

Adverte 2dò quomodo panis ille ſubcineritius non ſubitò tantam ruinam quanta deſcribitur edidit. Inprimis enim videbatur volvi lenteq; ad caſtra procedere, tum tabernaculum percutere, evertere, tandem ſolo æquare. Nec aliter ſenſualitas caſtris religioſis ſe inſinuat: Inprimis enim in licitis ad menſam communem viros religioſos aggreditur & quidem prætextu alicujus neceſſitatis. Poſtea ad eadem extra menſam communem, cum facultate tamen

prævia, absumenda sollicitat. Deinde ad mensas convivia externorum invitat: artesq; illa adeundi illisq; se insinuandi subministrat. Tum etiam, ut privatim esculenta ac potulenta in cubiculum inferantur absumanturq; sine facultate, persvadet ac in eo dispensat. Tandem vero ad notabilem excessum in cibo & potu, imo & ebrietates inducit. Jam quæ inde ulteriores prævaricationes ac ruinæ religiositatis sequantur, facile consideranti patebit.

Adverte tertiò Panem illum non rusticanum tugurium non domum aliquam privatam & pacificam, sed tentorium militare fuisse aggressum: Et hunc scilicet esse morem satanæ, ut per sensualitatem non alios magis quam eos qui se militiæ Christi adscripsêre heroicamq; vivendi rationem sibi proposuerunt impugnet. Atq; primus est hic insultus ac proinde fortissimus, quo primò eosdem heroes aggredi consuevit expeririq; cum illis. Uti de facto ipsum Ducem, nostrum Christum in deserto impugnavit.

Quibus expensis vide, ut te adversus hunc hostem abhinc melius obarmes, & quidem per opposita sensualitati arma scilicet per mortificationem in cibo & potu exactam.

PUNCTUM III.

COnsidera Parum fuisse quod ille panis subcineritius unum militare tabernaculum subverterit. Insuper fuit præsagium ac præludium interitus omnium castrorum & totius exercitus Madian: scimus enim quomodo inde ad illas lagenas pro armis à Gedeonis exercitu assumptas, ad illarumq; complosionem, quomodo ad tumultum in castris Madianitarum tandem ad litigia, ad mutuam internecionem, ad plurimam & extremam stragem deventum est?

Quantum totis Religionibus hic hostis noxius?

Neq; vero à sensualitate, non tantum in privatis personis aut particularibus claustris ac domiciliis sed in totis

religio

religionibus dissimilis clades timenda est. Idq; per laxatas sensualitati & bucolicismo ejusq; prævaricationibus, nec à superioribus cohibitas habenas. Vide ne exparte tua sis causa ejusdem ?

Colloquium. Execrare mundana nescio quæ bellaria. Præelige fel & acetum Christi, ad cælestes epulas toto corde aspira. In JESU & MARIA omnes tuas delicias cupedias reputa cum D. Bernar: *Hic pascor à vulnere hic lactor ab ubere.* Tandem pete ut te Deus ab hoc hoste protegat, omnia oblectamenta gustus humani amarescere faciat, solusq; tibi JEsus & Maria sapiant.

MEDITATIO XIX.

De Amara vita in Religione.

EUndam: Visio Joannis Apoc: 8. ubi *Angelus tuba cecinit & cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum & in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur absinthium, & facta est tertia pars aquarum in absinthium.*

Prælud: 1. Eadem visio imaginanda.

Prælud: 2. Pete gratiam ex occasione visionis expendendi mala vitæ amaræ in religione, eamq; aversandi.

PUNCTUM I.

Descriptio vitæ amaræ in religione.

COnsidera per hanc stellam apocalipticam adumbrari eos religiosos, qui amaram vitam in religione ducunt: sicut enim ea stella tota quanta erat in absinthium & amarorem transierat; unde etiam eo nomine vocata: utiq; enim dici sequitur ad esse. Ita illi quoque & sibi & aliis amari, planèq; in absinthium versi: omnia illis amara, occupationes, munia religiosa, dispositiones superiorum: ita ut nullum illis officium, nulla occupatio nulllus

locus,

locus nullus superior ad mentem & gustum accidere possit: amaræ illis regulæ, amaræ ordinationes, amara & insipida ratio victûs, ratio vestitus, amari superiores, æquales, inferiores, ita ut cum nullo eorum conveniant, in nullo gustum & satisfactionem invenire queant: amara cum illis colloquia, recreationes; amara deniq; & quæ alii, & quæ illi ipsi faciunt. Hinc in alienis moribus recte factis & laudibus sibi displicent, omnia censurant, extenuant, intra se arguunt. Undiq; suspicionibus laborant: ab omnibus abhorrent; nec sibimet ipsis satisfaciunt in omnibus, ac in se etiam & ex se (ut ajunt) malecontenti & nause abũdi: quo ad omnia Quodcunq; in illorũ gratiã præstes, affectũ licet & amicitiã testeris, omnia sinistrè & malignè accipiunt, interpretantur, continuaq; in omnibus cholera, displicentia, amaritudine, exagitantur, aliosq, exagitant. Planèq; ad instar hujus stellæ apocalipticæ tanquam faculæ ardentes, quosvis pungunt adurunt. Atq; etiam integras communitates eadem amaritudine inficiunt, & in absinthium vertunt. His expensis vide an etiam simili amaritudinis vitio non laboras?

PUNCTUM II.

Religio indebitus amaritudinum locus, & erroneum in illis ad mundana refugium.

Consídera illam Stellam fuisse in cælo defixam. Proinde mirum esse, etiam ibi materiam amaroris invenisse: Quid enim cælo cum absinthio? ubi plane dulcedinis locus fons & origo, ita ut quidquid in terra dulce & melleum, hoc ipsum à cælestibus influentiis habeatur. Si in terra ubi nascitur absinthium, si in medio mari ubi amaritudinis & salsedinis plena omnia, vel à mari non longe defixa esset, non tantopere admirationem mereretur.

Unde expende similes reperiri huic Stellæ plerosq; religiosos, qui in cælo etiam ipso hoc est in religione cælestium dulcedinum plena, amaritudinis materiam inveniunt:

ita

ita ut etiam ea apprehensione & opinione laborent, quod extra hoc cælum terrestre; scilicet in mundo tantum, omnia illis dulcia, sapida, mellea videantur, conversationes, alloquia, Socii, fercula, pocula, condimenra. In religione nihil simile, sed omnia absinthium: omnes superiores, æquales, inferiores, nonnisi dracones, ursi, centauri, arcitenentes, leones, & alia ingrata Phænomena. Hinc illa domi tædia, hinc excursiones, hinc quæsita excogitata ad illas procurandas media, conquisitiones esculentorum potulentorum ab externis. Per quæ tamen non tantum hæc in illis amaritudo non sedatur, nec mitescit, sed propagatur magis, ut experientia constat. Quis enim à mari veram dulcedinem speret, quis à mundo amaritudinum pelago dulcorationem suarum anxietatum expectet? vide quis in te quoq; gustus ac æstimatio rerum religiosarum atque secularium, nec non alterutrius convictus secularis scilicet ac religiosi?

Reflecteq; te an non etiam æquè sis corrupto appetitu & gustu atq; illi? Quodsi hoc ipsum adverteris, quam primum de antidoto cogita.

PUNCTUM III.

Causæ & fontes amaritudinis in religiosis nec non exitus eorundem.

COnsidera quid causæ fuerit, quod hæc Stella eâ amaritudine laboraverit, ut etiam ab illa nomen absinthii traxerit. Unde enim in stella, in igne cælesti absinthium? Num quod humiliori loco in cælo defixa, altiori aliæ? seu quod plus aliæ de luce habuerint, clarius & splendidius micuerint, hæc obscurius ac tenebrosius? vel quod fixam coacta habere stationem, ita ut illa excedere, ad libitum excurrere non licuerit, cùm major aliis errandi & pererrandi fuerit copia & libertas? Ut omittam quod toties sub nebula velut sub modio degere coacta. Innuitur in ea visione Angelum tubâ cecinisse, & illico cecidisse stellam, nomen acquisivisse absinthii, eoq; infecisse orbem? Num

forsitan ille Angelus pro leni & dulci carmine & concentu severius aut præliare pæana insonuit? unde aliqua stellæ amaroris occasio?

Quidquid sit? expende non absimiles esse in religiosis amaritudinum causas, nempe defectum humilitatis, & indifferentiæ ad quævis officia, loca, sive digniora sive abjectiora, defectum spiritus religiosi & fervoris. Præterea defectum mortificationis passionum, præsertim invidiæ, appetitus excellentiæ supra alios, aut eminendi cum aliis: delicatam insuper nimis patientiam, delicatas aures, delicatum animum, qui vel uno severiore verbo in amarorem adducitur.

Adverte verò eandem Stellam vocari magnam. Non paucos videlicet in religione esse, qui dum se ex magnitudine generis, talentorum, virtutis æstimant, nec proportionate ad hanc eandem magnitudinem se foveri & extolli putant, ingentes inde amaritudines in animo concipiunt, & iisdem contabescunt.

Adverte præterea, an non etiam ideo hæc stella in absinthium versa, quod fuerit ardens tanquam facula? Nimirum in plerisq; causam & occasionem amaritudinum præcipuam esse, ardorem accensionemq; bilis & choleræ quam negligunt comprimere. His expensis vide quis in te quoq; amor humilitatis & indifferentiæ religiosæ, quis in te animus ad abjecta & humilia, quæ mortificatio passionum, præsertim melancholiæ & choleræ?

Et quamvis hæ prædictæ non leves amaritudinis causæ in viris religiosis. Adhuc tamen considera potissimam causam & fontem esse: neglectum rerum spiritualium & nauseam in illis: nempe in meditationibus, orationibus, conjunctione cum Deo & aliis piis exercitiis.

Atq; ad extremum expende: Quisnam fuerit exitus istius stellæ, ac etiam religiosorum vicissitudine eâdem laborantium? Nimirum illam stellam, tandem quasi tædio & nausea victam in cælo non perseverasse, de illo cecidisse in ter-

in terram, eamq; sua amaritudine infecisse: *Et facta est tertia pars aquarum in absinthium.* Unde considera simile quid cum prædictis religiosis fieri. Nempe quod & illi præ tædio, angore & nausea in præfatis; tandem etiam fastidium vocationis ac ipsius virtutis concipientes, è religione transferuntur ad seculum, grandi deceptione, errore, ac serâ pænitentiâ, quod cum existimâssent, se nauseam secularibus dulcedinibus & solatiis abstersuros, patriamq; ibi melleæ ac solidæ inventuros dulcedinis, in majores angores & amaritudines incidant, illisque ipsis, nec non auctis suis sceleribus mundum ipsum inficiant, injustâ contra Societatem secularium querelâ, quod nostris dimissis mundum inficiamus.

Expende hæc & vide inprimis quis in te gustus rerum spiritualium? tum ad prædicta exhorresce: atq; te congruis propositis obfirma.

Colloquium. Detestare dulcedines mundanas. Complace tibi in amaritudinibus etiam religiosis easq; nescio quibus mundi melleis bellariis præpone. Prælige in religione inter nescio quæ amara vivere & mori, quam in sæculo inter summè dulcia. Conclude aspiratione ad Jesum crucifixum felle & aceto potatum, petendo, ut ille tibi dulcoret omnia, in quo solo vera ac solida invenitur dulcedo atq; usurpando illa ex hymno S. Bernardi? *Jesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia, sed super mel & omnia ejus dulcis præsentia.*

MEDITATIO XX.

De Tepiditate religiosa.

FUndamentum: Visio Joannis Apoc: 3. Ubi jussus est scribere ad Angelum hoc est Antistitem Ecclesiæ Laodiceæ in hæc verba. *Scio opera tua, quia neq; frigidus es neq; calidus: utinam frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus*

dus es, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis quod dives sum, & locupletatus & nullius egeo: & nescis quia tu es & miserabilis & pauper & cæcus & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ. Et collyrio inunge oculos ut videas.

Prælud: 1. Imaginare idem tibi omnino quod huic Angelo Ecclesiæ exprobrari & dici.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi mala tepiditatis, eamq; aversandi.

PUNCTUM I.

Ferventissimi intepescunt.

CONsidera 1mo. Non cuiquam alteri sed ipsi Angelo tepiditatem hic exprobrari: acsi etiam non homines tantum facile frigescentes, sed Angeli quoq; suâ naturâ ignei juxta Psaltem: *qui facis angelos tuos Spiritus & ministros tuos ignem urentem*, de ardore suo remittant ac intepescant. Aut si hoc de Antistite Ecclesiæ, Ecclesiæ inquam primitivæ, adeoq, tunc si in simplicibus Christianis & laicis tanto magis in præsidibus supremis quorum status supponitur perfectus ferventissimæ; Vel hinc expende, quantum tibi, etiamsi in spiritu Deiq; obsequio ferventissimus esses & planè igneus, fidere non debeas.

Descriptio & signa tepiditatis.

Considera 2do: Quid sit esse tepidum? Nempe esse neq; calidum neq; frigidum; sed quid medium Neq; esse omnino malum neq; etiam omnino bonum, sed aliquid quasi adutrumq; indifferens de utroq; participans.

Considera 3tio. Quænam sint signa tepiditatis, & unde hæc capienda? nimirum non aliunde, quam ex actionibus, ex operibus: juxta hoc quod expressè eo loco dicitur: *scio opera tua quia tepidus es.* Quæ vero & qualia opera tepidi religiosi? Nimirum juxta id quod in Epla Patris Claudii: primo: orare, meditari, sine ullo sensu devotionis

ac fructu, inter distractiones, evagationes deliberatas, sine ulla ad mores proprios reflexione 2. cogitationes suas, verba & opera cursim perfunctorie sine ullo firmo proposito examinare 3. In exteriora ex solo tædio libenter effundi, solatiola à rebus creatis emendicare. 4. Libenter ac liberè aliis obloqui, censurare, sugillare, detrahere. 5. Disciplinam religiosam gravem ducere. 6. Labores religiosos subterfugere ad otium & quietem aspirare. 7. Imperia ac dispositiones superiorum graviter ferre, illis obluctari 8. Appetere commoditates, præeminentias, humilia & abjectiora respuere, incommoda fugere. 9. Distractionibus, colloquiis, confabulationibus, divagationibus per curritoria, officinas & cubicula tempus fallere. 10. Res spirituales negligere parvipendere, aut illas tantum ex consuetudine obire, ac deniq; omnia agere sine ulla devotione, fervore, præviis intẽtionib9 adeoq; nihil à seculari in suis actionibus peragẽdis differre, &c.

His expensis vide: an non etiam tibi hæc ipsa signa tepiditatis conveniant?

PUNCTUM II.

Onsidera mala & effectus tepiditatis. Quorum primus est: quod depauperet, denudet religiosum, planeq; expoliet omni fervore, devotione, virtute, gratiis & donis supernaturalibus, atq; ita in extremam miseriam coniiciat. Quid enim miserius quam his omnibus despoliari. Unde dicitur: quia tu es miserabilis & pauper & nudus. *Effectus tepiditatis.*

Secundus effectus. Quod interim talis homo eo quod careat grauioribus noxis, putet se apprime religiosum spiritualem, virtuti deditum, Deo gratiosum, ejusq; donis abundantem. Qualis hic Angelus Apocalypticus qui de se jactabat: *Dives sum & locupletatus &c.* adeoq; hunc esse non postremum execrabilem tepiditatis effectum, nempe quod homi-

hominem infascinet, excæcet, ignorantem, stultum, amentem, insensibilem efficiat, ut suam deplorandam conditione m non videat, non agnoscat, non sentiat, ignoret penitus ac nesciat, quia est miser & miserabilis: Insuperq; additur. *Et cæcus & nudus* eo quod hâc miseriâ, ad quam cæcutias, eamque ipsam non videas, nulla sit gravior. Unde agnosce tepiditatem esse latronem perniciosissimum, qui postquam tulerit omnia, relinquit opinionem & persuasionem, se nihil abstulisse, omnia reliquisse intacta; ita ut etiam spoliando, vulnerando letaliter, excæcando, pæne interficiendo, sensum adimat vulnerum ac miseriæ, quo non sit remedio locus.

Tertius effectus quod hominem faciat nimis præsumptuosum, superbum, jactantem. Qualis hic apocalypticus, qui de se superbè ac jactabundè dicebat: *dives sum, nullius egeo &c.*

Quartus quod talis homo maximè sit tentationibus illusionibusq; diabolicis obnoxius, illisq; facile succumbat: tum quod gratiâ Dei & auxiliis supernaturalibus sit indignus, tum quod nihil faciliùs sit quàm stultum, amentem, ac præterea cæcum profligare, vulnerare inermem ac nudum.

Quintus quod tepidus post lapsum tardè & difficulter resipiscat & resurgat, cùm remediis spiritualibus ac exercitiis parum juvetur, quod hæc ipsa tepide & negligenter obeat, aut illa non acceptet, quod existimet se bene valere, adeoq; iisdem remediis non egere: ut idem apocalypticus: *Dives sum & nullius egeo.*

Sextus. Quod talis facilè habitus malos contrahat; illosq; sæpius in eos relabendo, difficillimè extirpet. Quid enim facilius quam cæcum in foveam cadere, eductumque iterum in eandem relabi.

Tandem ultimum illud & horrendum est quod dicitur. *Incipiam te evomere ex ore meo.* Nempe quod talis homo proximus sit extremo periculo & calamitati: nimirum, ne illum Deus à se projiciat indignum amplius sua miseratione gratia, & beatitudine æterna.

Expende ista in te ipso & exhorresce. PUN-

PUNCTUM III.

COnsidera imo quantum sit malum quàmq; Deo odibile tepiditas?

Malignitas & virulentia tepiditatis, nec non remedia ejusdē

Atq; inprimis ex eo quod DEUS vix non præeligat & malit esse, hominē potius simpliciter peccatorē præsertim ad pœnitentiam seriā aspirantē quàm tepidum, adeoq; videtur esse res gravior, Deoq; odibilior omnino tepidus, quam simplex & manifestus ejusmodi peccator: proinde etiam dicitur: *Utinam frigidus esses.* Cum præterea uti experientiâ & ratione constat, facilius ordinarie peccatores à peccato quàm tepidi à sua tepiditate resipiscant ac desistant. Secundo ex eo quod hominem tepidum Deus cogatur evomere, nec intra sua viscera tolerare possit, cum ille ignis sit cunsumens etiam nescio quæ venenatissima. Quanta igitur malitia, quantum virus tepiditatis quod illam ignea Dei viscera concoquere non possint. Quid dico conquere? Tanta est tepidorum virulentia & malignitas; ut illam ad viscera etiam Deus admittere non valeat, ex ore suo eiiciat: *Incipiam inquit te evomere ex ore meo.*

Proinde considera 2do media extirpandæ hujus tantæ virulentiæ, nempe his verbis expressa: imo: *Suadeo tibi emere aurum ignitum ut vestimentis albis induaris. 2do collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Per aurum autem ignitum intelligitur fervor spiritus ac fervor Charitatis in Deum. Per vestimenta alba puritas conscientiæ expoliatio veteris hominis, induitio hominis novi, frequensq; ac diligens renovatio spiritus ac fervoris religiosi. Per collyrium, usus præsentiæ divinæ semper præ oculis habendæ, mortificationis externæ, orationis, meditationis, præsertim passionis Christi; memoria novissimorum.

Expende hæc media & quàm primum eadem arripe: advertendo, quod ad curandam & eliminandam tepiditatem pro solis oculis speciale præscribatur remedium: *col-*

lyrio inunge oculos tuos. Cur simile quid capiti, linguæ, auribus, cordi, manibus pedibusq; non præscribitur? Utiq; hæc omnia omnes humanos artus tepiditas inficit ac perfundat? Nempe ut diximus, quod illa maximè damnosam in oculos cæcitatem inducat quo tantam hominis miseriam ac ægritudinem non videant, ac ideo reddat hominem pænè insanabilem. Et si hæc cæcitas oculorum sanetur, jam sana sunt omnia. Inde igitur tu quoq; incipe, ac inprimis tibi persuade, ea te cæcitate laborare si sanari peroptas.

Adverte verò expressè insinuari, ut aurum prius ignitum ematur, ut pro eo vestimenta alba comparentur. Unde concludе pro quavis moneta, cætera quæcunq; posse comparari. Jam pro comparandis albis vestimentis id est puritate conscientiæ munditie ab omni nævo, nulla moneta expeditior aurô ignitô scilicet ardenti amore Dei ac fervore spiritûs.

Colloquium & affectus ad Deum: O ignis qui semper ardes & nunquam extingueris, accende cor meum, ut semper tui amore fervens, nunquam amplius intepescat.

MEDITATIO XXI.

De Conversatione incauta cum periculoso Sexu.

FUndamentum: Visio Zachariæ Prophetæ cap: 5. Ubi *vidit amphoram egredientem: Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit angelus: Hæc est impietas Et projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus. Et levavi oculos meos, & vidi & ecce duæ mulieres egredientes, & Spiritus in alis earum & levaverunt amphoram inter terram & cælum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me. Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: ut ædificetur ei domus in terra Sennahar.*

Prælud

Præ'ud : 1. Imaginatio hujus ipsius.

Prælud : 2. Pete gratiam ex occasione expensæ hujus ejusdem visionis, agnoscendi pericula & damna conversationis cum altero sexu, eamq; declinandi.

PUNCTUM I.

COnsidera imò mulierem hìc sedisse in Amphora. Nempe ex amphora, hoc est ex sensualitate, præsertim ex excessu in potu, carnis tentationes procedere.

Damna ac pericula conversationis incautæ cum sexu altero.

Cosidera 2. De hac amphora ubi sedit mulier pronuntiatum esse : *Hæc est impietas*, ac si omne simul scelus locum ibidem fixerit. Ideoq; expende per eandem amphoram rectè intelligi, quemvis hominem, utpote ex sua natura vas fragile : atq; adverte: ubi hoc vas mulier seu pruritus aliquis conversandi cum eo sexu occupaverit, illicò pessum iturum, illicò se omnem iniquitatem illi infusuram. Nempe non aliud esse periculosius compendiosiusq; iter ad scelera & ruinam, quàm conversationes & confidentias cum eodem sexu nimias & incautas. Unde expressè hìc poni mulierem, non stetisse tantillum, non habuisse se permodum transeuntis, sed sedisse : per hoc autem significari conversationem non qualemcunq; non per modum brevis & per transennam habiti colloquii; sed potiùs morosam & diuturnam. Unde per expressum dicitur de ea muliere : quòd medium amphoræ insederit : nimirum ipsum cor. Et talibus planè conversationibus, cor utiq; ipsum subjugantibus, nihil periculosius nihil expeditius ad præcipitium, uti de Salomone scriptura : *Depravatum est cor ejus per mulieres.*

Considera tertiò pro amphora à plerisq; legi *mensuram* intelligiq; mensuram illam peccatorum horrendam. Eamquè non faciliùs ac citiùs aliter adimpleri, quàm familiari eoq; incautô cum hoc ipso sexu, commerciô.

Insuper illud considera in os ejusdem amphoræ, postquam illam mulier insedisset, massam plumbeam injectam.

Per hanc autem massam plumbi intelligi *pondus gravissimum peccati*, ut ait Cornelius à lap: Nimirum illas nimias cum eo sexu amicitias, quid aliud post se trahere, quam gravissima quæq; peccata, pravosq; eorum habitus, quibus tanquam plumbo pressus ac onustus difficulter ad resipiscentiam ac pænitentiam resurgas. Nihil enim tam arctè hominem in peccatis detinet, quam muliebre commercium: ut rarissimè qui eò implicantur, præsertim ex religiosis, resipiscant.

Vide an talibus cum sexu altero familiaritatibus ac provenientibus exinde periculis & damnis sis obnoxius?

PUNCTUM II.

Alii effectus conversationis incautæ.

COnsidera hoc vas insessum à muliere, Prophetæque exhibitum appellari amphoram, vas utiq; usibus profanis deputatum. Nimirùm eos, quoscunq; affectus ad hunc sexum subjugaverit, jam ad nullos usus pro Deo ejusq; gloria tum animarum salute valere: jam amplius non vasa esse electionis, ut portent nomen JESU coram gentibus, sed amphoras sensualitatum, vanitatum, stercorum capaces evadere. Vide ne hunc tibi obicem ad magna pro Deo & animabus agenda, ad quæ te DEus sibi forsitan elegit, opponas.

PUNCTUM III.

Exitus eorum qui huic conversationi implicantur.

COnsidera eandem amphoram à duabus mulieribus in terram Sennahar, hoc est Babilonem translatam. Nempe eos qui sive fidē, sive religionē, sive quodcunq; servitium Dei virtutisq; cultum deserunt, non aliam hujus veriorem habere causam quàm affectum ad sexum alterum, liberius licentiosiusq; continuandum: non aliud illos, abducere à fide, religione servitio DEI, non aliud transferre.

ferre in Babilonem, hoc est deducere in apostasiam, in hæresim, in seculum, in baratrum peccatorum, nisi muliebres confidentias. Unde expende has mulieres fuisse alis instructas. Nihil scilicet velocius ad nostram perniciem ac ruinam esse, hoc eôdem sexu, incautâq; cum illo conversatione.

Considera præterea, Spiritum hoc est dæmonem alis harum mulierum insedisse. Non aliter videlicet illum celerius ac facilius in nostrum volare exitium, non alium expeditiorem habere modum, quo nos in scelera ac damnationem præcipitat, quàm per mulieres. Vide ne te quoq; eadem conversatio eo deducat, quo alios toties deduxit.

Colloquium & affectus sit detestationis incautarum omnium conversationum; præterea sit petitio gratiæ præservantis, ab omnibus nævis, ac periculis ex incauta conversatione provenientibus.

MEDITATIO XXII.

De duabus clássibus Religiosorum, scilicet bonorum & malorum.

FUndamentum: Visio Regis Pharaonis Gen: 41. *Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchræ & crassæ nimis & pascebantur in locis palustribus, aliæ quoq; septem emergebant de flumine fœdæ confectæq; macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus, devoraveruntq; eas quarum mira species & habitudo corporum erat. Rursus vidit alterum somnium: septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atq; formosæ: aliæ quoq; totidem spicæ tenues & percussæ uredine oriebantur devorantes omnem priorum pulchritudinem.*

Prælud: 1. Imaginatio ejusdem visionis.

Prælud: 2. Apprehende hac visione exprimi duplicem classem Religiosorum.

Prælud : 3. Pete gratiam agnoſcendi conditionem malorum & conditionem bonorum religioſorum, illamq; deteſtandi, hanc ſequendi.

PVNCTVM I.

Conditio bonorum & malorum religioſorum.

COnſidera per boves pulchras & craſſas, tum etiam per ſpicas plenas atq; formoſas rectè intelligi religioſos bonos : Nempe talentis, gratiis divinis, donis ſpiritualibus, virtutibus, meritis, bonâ famâ, ſui æſtimatione abundantes, plenos, conſpicuos. Per boves autem fædas confectaſq; macie, tum etiam per ſpicas tenues & percuſſas uredine intelligi religioſos malos, iiſdem gratiis, donis, meritis orbatos, penitus vacuos, extenuatos, macie Spirituali pæne confectos.

Atq; hinc expende conditionem bonorum religioſorum, nimis fortunatam excellentem conſpicuam in oculis cæli & mundi, fortunatam inquam & temporaliter in hac vita, & æternè in altera. Ex altera parte conditionem, malorum Religioſorum nimis miſeram, infelicem, deformem & abominandam : miſeram inquam, tum in hac vita mortali, tum in æternitate ut conſideranti patebit. Scimus enim utiq; experimentô, quid imo fiat tam cum bobus pinguibus quam cum ſpicis plenis, nempe hæ transferuntur in pænu ad menſas Dominorum, in horrea & granaria. Deinde quid cum bobus macilentis, ac ſpicis ſterilibus, ſcilicet, illæ abjiciuntur in offam famelicis canibus, hæ igni ad cremandum.

His verò expenſis teipſum intuere cuinam gregi ac meſſi annumerandum te putes? bonorum né an malorum religioſorum? perſpiciendo utrorumq; characteriſticas & attributa in te ipſo.

PUN-

PUNCTUM II.

Consid era causas tam in bobus, quam in spicis tantæ maciei, sterilitatis, inopiæ. Cum inprimis macilentæ boves in eodem loco cùm pinguibus pascerentur, iisdem uterentur pascuis: nempe ad Nilum fluvium in ipsa amnis ripa, in locis virentibus, ubi ad pastum ac nutrimentum nihil desiderari poterat. Pariter etiam & spicæ steriles in eodem agro cum spicis plenis, hoc est in gleba fertilissima à Nilo irrigatâ erant exortæ. Quid igitur causæ tantæ in utrisq; differentiæ ac discriminis? Nimirum fortè boves illas pascuis illis communibus non fuisse contentas, depravato appetitu super illa nauseasse, quæsivisse alia, atq; ita contemptu ac neglectu bonorum pascuorum in maciem redactas. Aut etiam pro insolentia, tædio & inquietudine excurrisse aliò, per avia & devia pererrasse: hisquè excursionibus, evagationibus in famem & maciem incidisse. Nisi quod corruptô potius ac infirmô nec ad bonam concoctionem satis validô ventriculô fuerint: ideo nihil illis in substantiam & bonum sanguinem cedere ac converti poterat, adeoq; ita emarcuêre deformiter. Pariter de spicis eodem loco innuitur, eas scilicet fuisse uredine seu ardore percussas: alii legunt Eurô, ventô, ideoq; sic deformatas ac exhaustas.

Causæ inopiæ ac miseriæ spiritualis in malis religiosis.

Unde considera idem causæ esse in malis religiosis maciei & sterilitatis spiritualis. Nimirum neglectum, contemptum pascuorum spiritualium tam nobilium, tam excellentium: abhorrentiam à communi vita, amorem singularitatis particulariumq; ac privatorum commodorum: evagationes, excursiones ad emendicanda & conquirenda è mundo & secularibus alia pascua, nutrimenta, solatiola; quæ licet delectent, sapiant, minimè tamen Spiritum & animam religiosam nutriunt, imò in maciem extremam redigunt. Quid de illis dicam? qui velut corruptô ventriculô, omnia spiri-

spiritualia fastidiunt, super omnia nauseant: omnia licet optima, licet ex cordiali affectu & charitate profecta pravô animô à superioribus, æqualibus, inferioribus accipiunt. omnia licet Sanctissima, in malam partem interpretantur, nihil pœnitus, ac verbum etiam minimum concoquere possunt, adeoq; nihil in bonam sibi substantiam convertunt, omnia in bilem, choleram, melancholiam. Huc spectant ferventiores, quibus exuruntur passiones iræ, odii, invidiæ, ventus vanitatis, ostentationis, vanæ gloriæ &c.

Vide an non etiam in te similes causæ inopiæ & maciei spiritualis inveniri possint?

PUNCTUM III.

Mala per malos religiosos proveniētia: nec non exitus eorundē religiosorum.

COnsidera mala per malos religiosos in religione semper Solita.

Nempe sicut illas boves macilentas odio & invidiâ stimulatas in pinguiores exarsisse, cornibus impetiisse, convulnerasse, devorasse. Idemq; spicas steriles in fertiles egisse. Ita pariter similes malorum religiosorum ausus esse. Ac inprimis nullo illi religioni ac dominico gregi, emolumento & decori, imò dedecori & opprobrio insigni. Non iidem jugi religiosi patientes, non ad agrum Domini colendum idonei, soli otio & evagationibus intenti. Illorum est odia, iras, invidias, in communitatibus accendere, illisq; accendi: discordias serere, pacem domesticam turbare, exagitare bonos, appetere sarcasmis, censuris, arrodere & absumere illorum famam, honestum, talenta, æstimationem; diffamationibus, detractionibus, informationibus sinistris, delationibus cōtra conscientiā mendacibus, & planè omnem pulchritudinem, omnem florem religioni eripere: ac tandem in religionem ipsam sensim, ut illæ boves macilentæ & spicæ in Ægyptum, extremam sterilitatem ac inopiam inducere. His expensis vide an non etiam per te similia mala in tuam religionem introducantur?

Atq; etiam illud expende: quônam illæ vaccæ & spicæ evaserint? Nempe ut primô punctô insinuatum, illæ vaccæ macie & miseriâ confectæ, extraq; suum ejectæ gregem miserabiliter perierint: canibusq; & volucribus abierint in pastum. Spicæ quoq; loco horrei in quod deportandæ erant, igni vel sterquilinio injectæ, aut arserint in favillam, aut computruerint. Unde simili quoq; exitu vitam malorum religiosorum terminari, nimirum scrupulis, remorsibus conscientiæ, ejectione ex religione, turpi desperatione ac morte.

Colloquium & affectus. Gratias age Domino DEO quod te in tam bonis pascuis, in tam fertili agro, ac in terra plane viventium per vocationem religiosam collocaverit. Defle tuam malitiam, ex qua abusus es tuâ tantâ felicitate, tot mediis ac opportunitatibus ad virtutem, quòd tot pascua in tuam spiritualem substantiam non converteris. Pete ut in his iisdem te pascuis conservet: ne te tanquam sterilem spicam ex agro suo evellat, aut tanquam inutile pecus eiiciat.

MEDITATIO XXIII.

DE MORTE.

Fundamentum: Visio Joannis Apoc: 6. Ubi vidit: *Et ecce equus pallidus & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladiô, fame, morte, & bestiis terræ.*

Præud: 1. Ejusdem visionis imaginatio.

Præud: 2. Pete gratiam vivaciter apprehendendi mortem, præparandiq; te ad eandem.

PUN-

PUNCTUM I.

Cur hîc mors equô insidest

CONsidera primò cur hîc equo insidens mors exhibeatur? Nempe ut exprimatur illius celeritas, qua nos insequitur, vitamq; in medio cursu fortunarum, honorum, successuum, intentionum, destinationum, imò sæpe in ipso limine abrumpit: ita ut nulla eam conditio, nullus hominum status nulla ætas effugiat. Et quidem primâ mundi ætate quasi pedestris mors erat: proinde non eâ quâ modò celeritate pollebat. Circiter mille anni, nongenti, octingenti, septingenti &c. elabebantur, antequam unum & alterum suæ falci destinatum assecuta. Jam nunc longè celerior, acsi equum insedisset.

Considera: 2dò. Cur in equo pallido visendam se præbeat? Nimirum præter hoc quod ad illius occursum quisq; etiam animosissimus palleat, illud insuper est, quod homines imaginentur sibi mortem non vivido alicui equo, sed jam exhausto, destituto specie, vigore, & viribus, pallido insidere, adeoq; existiment lento ac imbecilli passu illam progredi: cùm defacto nimiùm decipiantur, assequente illos & comprehendente citiùs quàm sperarunt fatali equite. Et quia alii pro pallido legunt *viridem*: hinc adverte ex Cornelio *quia mors impiis est pallida, id est metuenda, & tristis: bonis vero est viridis, id est svavis & placida: spemq; præbet messis vitæ æternæ*

Considera 3tiò. plerosq; per hunc equum intelligere velocissimum suâ naturâ tempus. Uti Sandæus: *Velocissimus est (inquit) equus, tempus, fatalem equitem dorso ferens* eoq; ipso designari: huic osseo sessori tempus ipsum esse subjectum ac subordinatum: adeoq; quolibet tempore, mortem à nobis sperandam timendamq;, nullum tempus, nullam horam, nullum momentum à morte immune, alienum, ac remotum. Quapropter nulla etiam dies, nulla hora sit, quâ nos imparatos inveniat.

Con-

Considera 4tò. Per eundem equum intelligi peccatum: *per peccatum* namq; juxta Apostolum *mors intravit in mundum*, Ab alijs intelligi corpus ipsum nostrum, sive homines animaliter, sensualiter, ac pænè bestialiter viventes, suis appetitibus, sensualitatibus obsequentes, consulentes, commoditatibus inhiantes, mulo & equo non absimiles. Nempe ipsa peccata, quæ accumulamus, ipsas sensualitates, abusus rationis, commoditates ipsas præsertim in victu, & potu, mortem nobis accelerare, eamq; intra corpus nostrum immittere.

Considera 5tò. Mortem tergo hujus equi Apocalyptici insidere: Id ipsum videlicet denotare, nosmet mortem à tergo habere, rarò aut nunquam in intuitu præ oculis.

His itaq; expensis, vide quis in te hac in parte de morte sensus, præsertim de vitæ brevitate, de celeritate ac vicinia, de tempore & hora mortis: de acceleratione ejusdem per peccata, sensualitates, commoda? Præterea quæ apud te ejus memoria? quis ad illam respectus?

PUNCTUM II.

Cur eam sequebatur infernus?

COnsidera 1mò infernum eô locô mortis sequacem ac satellitem: *Et sequebatur eum infernus.* Adeoq; hinc expende vel eo ipso nimis terribilem horrendamq; mortem, quòd post illam sequantur judicium ac infernus. Et quis vero hæc effugiat?

Considera 2dò. Cur non cælum, hunc fatalem equitem visum sequi? Nimirum quod vix alicui immediatè post mortem cælum pateat, sed aut infernus, aut purgatorium, quod etiam infernus temporalis dici potest, proximè sequantur ac morienti immineant. Unde vel hinc quoque mortem acerbam cogita.

Atq; considera 3tiò. Ideo adhuc infernum hîc mortem comitari: Quòd videlicet maximè in morte, maximè eô momento, à quo pendet æternitas dæmon infernusque

totus nostræ animæ nostræq; damnationi intentus invigilet. Ad quod dum exhorrescis, tantum pro tua salute vigila, quantum pro tua perditione vigilat infernus.

PUNCTUM III.

Innumera mortis genera.

COnsidera: *Quod data sit illi potestas interficere gladiô, peste, fame, bestiis terræ &c.* Atq; hic expende, quam mille modis miseros homines mors una fatigat, ut nullum tempus, nullus locus, nullus terræ angulus sit securus. Quocunq; te verteris, mortem invenies, in ejus tela incurres.

Hinc expende, quod te genus mortis, quis casus, quis locus, quod tempus, in quo statu gratiæ an culpæ expectat? Atq; ita te præpara, ut quocunq; genere, quocunq; modô, quocunq; casu, quocunq; tempore, quocunq; locô discedere ex hac vita contingeret, paratum te ac omnimodè dispositum mors quæcunq; inveniat.

Colloquium ad Christum agonizantem per illius agonem ac trihorium in cruce, implorando tibi felicem obitum. Tum ad Beatissimam Matrem illa aspiratio. *Maria Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.*

MEDITATIO XXIV.

De morte justorum & impiorum.

FUndam. Visio ex historia Evangelica desumpta Luc. 16. de mortuo Lazaro & divite. *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.*

Prælud: 1. Fiat imaginatio morientis Lazari ex una parte: Ex altera morientis divitis.

Prælud: 2. Pete gratiam morte justorum moriendi, ad eamq; te rite disponendi.

PUNCTUM I.

COnsidera quàm felicem mortem obierit Lazarus! Cujus lateri utriq; dum moreretur adstabant Angeli, expectantes exitum animæ de corpore, ut illico eam in manus suas tollerent, & portarent in sinum Abrahæ. Quantis ille tunc in præsentia Angelica perfundebatur delicijs. Non ibi tristitia, non metus, non trepidatio, non amaritudo ulla: quam scilicet præsentes Angeli cælestibus consolationibus abstergebant, in spem erigebant beatitudinis, ut non tam ibi ex necessitate quam potiùs ex electione mors esse videretur. Videre erat arridentem vultum, defixos in cælo oculos nonnisiq; cum vita clausos. Audire pro gemitibus pia suspiria ac desideria, evolandi ad Deum ex corpore mortis hujus, eaque nonnisi extremo terminata agone, ita ut ejusmodi mors Somnus potius & amica quies, quàm suprema fati necessitas dici posset. Quis igitur dixerit mortuum mendicum? *factum est ut moreretur mendicus*: Vixit mendicus ac inops, cum illi micæ etiam cadentes de mensa divitis negarentur. Sed mortuus admodum dives: dives inquam gratiis, ac miserationibus Dei, dives virtutibus, tolerantiâ præsertim adversorum, meritis, dives cælestibus solatiis, patrocinio, & obsequiô angelicô, dives spe bonorum æternorum, dives pretiosa morte Sanctorum. *Felix Lazari obitus ejusq; adjuncta.*

Intuere sic morientem Lazarum: qualemvè ipse (utinam vero similem) habiturus sis, aut velles habere mortem? recogita.

PUNCTUM II.

COnsidera quo tandem merito tam felicem mortem Lazarus adeptus sit? Nempe singulari tolerantiâ paupertatis *Quonam ejus merito ac dispositione?*

tatis, inopiæ, ærumnarum, morborum, improperiorum, ad januam divitis: singulari resignatione in Deum, ejusq; sanctissimam voluntatem: amore humilitatis, puritatis conscientiæ, qua sibi ad sui obsequium purissimos Spiritus devinxit, ut ab illis portaretur in sinum Abrahæ.

Expende hæc & plura alia, quæ consideranti occurrent, ac præcipuè quomodo tunc non modo non pænituit Lazarum suæ mendicitatis, ærumnarum, morborum, incommodorum, sed imò magno solatio in morte fuit, quod non in divitijs, commodis, sed in ærumnis vixisset. Expende inquam idipsum, atq; te quonam tandem & tu ipse tuo merito, felicem tibi pollicearis mortem, accuratè reflecte, propositô tibi ex paupertate tua religiosa solatiô.

PUNCTUM III.

Infelix divitis ex hac vita exitus ejusque circumstantia.

COnsidera infelicem divitis exitum, ejusq; circumstantias. Sic ille ab Evangelista describitur. *Mortuus est dives & sepultus est in inferno.* Mortuus est inquam cum se non speraret moriturum, imò pæne putaret immortalem. Mortuus fortassis eâdem horâ, quâ sibi plurimos annos, vitamq; longævam pollicebatur. Mortuus morte infelicissima, morte peccatorum pessima, inter languores, tædia, timores, trepidationes, gemitus, ejulatus, desperationes, execrationes suarum divitiarum & voluptatum, pallido, exhaustô, exsangui, mæsto ac tetro, terribili horrendoque vultu, oculis inquietis, torvè huc & illuc reflexis; mortuus in peccatis, in finali impænitentia, certus damnationis suæ; mortuus, mundo, amicis, consanguineis, fratribus, divitijs, voluptatibus. Mortuus Deo, cælo, bonæ æternitati. Soli inferno æternisq; supplicis victurus. *Mortuus est dives*: quid dico: dives mortuus? dives vixit, sed mortuus est inops, & mendicus, absq; ullo solatio terreno & cælesti, absq; pænitentia, absq; spe salutis & vitæ æternæ,

absq; gratia, absq; misericordia & miseratione divina : ne unô quidem obolô, ne unico filô, ex tot divitiis & opibus in alteram vitam secum transportatô. *Sepultus est in inferno.* Nimirum non quomodocunq; inferno addictus, sed ut profundiùs graviusq; cruciaretur, sepultus. Sepultus inquam, quod ipsis etiam dæmonibus ac inferno extra fæteret : ipseq; illum aversaretur infernus. Sepultus dives, eò quòd peccatorum suorum immanium pondere prægravatus , inferni superficie sustineri non posset, adeoq; fundum ipsum petere, fundum rimari coactus. Sepultus non ab amicis, non à consanguineis, non à filiis, quorum amicitiæ & affectus, innatâ mundanis necessitudinibus inconstantiâ, in morte divitis extincti : verum absq; dubio , quod à dæmonibus, qui dum cum morte luctaretur , adstabant morituro præstolantes extremum anhelitum, quô extrusam infelicem animam exciperent. Ibi miserum horrendis monstrosisq; spectris terrere,exagitare,improperare, minari cruciatus æternos, patentem præ oculis sistere infernum, flammas vomere, & jactare, obumbrare cælum, ne ad illud aspectum dirigeret, obturare os, guttur stringere, suffocare , ne Deum invocaret, atq; sic reluctantem spiritum ex semimortuo corpore , violenter extrudere &c. Exclama hîc mortem impiorum pessimam , exhorresce , & conturbare salutariter : *O me peccantem quotidie, & non me pœnitentem timor mortis conturbat!* Propone aliter te victurum, ne taliter, ut dives epulo, moriare. Execrare mundum ejusq; divitias & voluptates, complace tibi in paupertate & vita religiosa, ex eaq; tibi felicem mortem ominare.

Colloquium & affectus ad Christum agonizantem, ad Beatissimam Parentem, ad S. Angelos Tutelares , petendo simile, ut in morte & post mortem Lazari ; patrocinium, gratiam, & obsequium : Conclude aspiratione : *Utinam moriatur anima mea morte justorum.*

MEDITATIO XXV.

De morte ante mortem.

FUndamentum: Visio Apocaliptica, in qua Joannes præter alia *audivit vocem, de cælo dicentem : scribe: Beati mortui, qui in domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos.*

Præluд : 1. Imaginare tibi eandem vocem cum Joanne te audire.

Prælud : 2 Pete gratiam agnoscendi quid sit mori ante mortem? eademq; morte mundo & tibi moriendi.

PVNCTVM I.

Quid sit mori ante mortem?

EXpende primò hæc verba : *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quid nempe est, quòd jam mortui; & iterum moriuntur? Nimirum ante mortem, aliam mortem esse, qua nobis in hac vita moriendum est : juxta illud Apostoli: *Mortui sumus, & vita nostra abscondita est in Christo JESU.* Moriendum inquam est mundo, carni, diabolo, concupiscentiis ejus, peccatis, passionibus, habitibus, malis inclinationibus, sensualitatibus, curiositatibus: ita, ut te in his omnibus geras, ita te ad hæc omnia habeas, ad mundum, divitias, honores, illecebras, voluptates, victum, amictum, commoditates, ac si defacto mortuus esses: planè eo modo, quo se habet mortuus ad hæc ipsa, ut consideranti patebit. Præsertim verò enitendum est, ut instar emortui cadaveris simus in obediendo, in abnegatione nostri, in indifferentia, ut S. Pater noster in suis regulis innuit. Nec verò alij simus circa paupertatem, sicut enim moriturus omnia relinquit, ita, ut nihil sibi omnino reservet, uti

Job dicit: *nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc*: Ita qui vult ante mortem mori, omnibus se exspoliet.

Quibus expensis vide an jam ita, saltem inceperis mori?

PUNCTUM II.

Considera 1mò illud esse mori ante mortem: Nempe hæc agere omnia, hæc velle, quæ moriens, aut ageres, aut velles te agere. Reflecte te supra ista, quæ tibi in morte occurrent agenda, & jam defacto nunc, hæc ipsa agere incipe. *Quid adhuc sit ita mori?*

Considera 2dò Mori ante mortem esse: sic agere omnia, eâ devotione, eô fervore, eâ humiliatione, eâ pœnitudine & contritione, quâ sua agunt morituri, orant, confitentur, sacramenta suscipiunt, in Dei sese voluntatem resignant. Vide an similis fervor ac devotio in tuis actionibus eluceat, quæ esse in morituris consuevit, aut in te, Dei miseratione futura est, dum ex hoc mundo & vita decedes?

Considera 3tiò mori ante mortem esse: ita se præparare, disponere, quomodò te actu disponeres, quô casu immediatè deberes mori. Ad hoc ipsum expedit habere paratas industrias bene moriendi, devotiones protunc usurpandas, actus exercendos, illosq; in praxi saltem singulis mensibus habere.

Vide quantum hac in parte fueris accuratus? & si nihil adhuc hujus præparamenti apud te est: quam primùm te his collectionibus velis accingere: ut hoc tanti momenti negotium expedias ac perficias.

PUNCTUM III.

Beatitudo morientium ante mortē.

Considera tales mortuos verè beatos. Beatos in vita, beatos in morte, beatos in æternitate.

In

In vita inprimis beatos, quod vivant à peccatis, saltem gravioribus immunes, virtutibus, meritis, donisq; Dei abundantes, inter prospera & adversa æquanimes, & planè adinstar emortuorum, ad omnia insensibiles: Unde illis nihil grave accidere potest, quo tangantur.

Beatos in morte. Nempe talibus mortem etiam ipsam minimè gravem & acerbam ingruere: quam magna ex parte expedivere in vita: & quod hæc illis non improvisa accidat, cùm illam in vivis superstites, semper præ oculis & in praxi habuerint, nam & prævisa jacula minùs feriunt: & hoc ipsum apud illos, non modicæ beatitudinis est, quod sibi nunquam mors repentina ac improvisa obvenire possit, eò quòd semper paratos ac instructos inveniat. Prætereà quòd non habeant, quô angantur, quòd doleant: non quod vitam relinquant, mundum, vanitates, illecebras, quia jam hæc anticipatò morte voluntariâ reliquêre. Non etiam eos conscientiâ peccatorum angi, quia & hunc tempestivè pænitentiis, satisfactionibus, expiarunt. Nec insuper esse quod timeant, non judicium, non infernum: his enim occurerrunt & providerunt in vita. Non mortis cruciatus, angores, dolores: quia & hi illis in delicijs. Non divisionem animæ à corpore: cùm se ab hoc & ejus concupiscentijs, adhuc etiam separaverint in vivis, vivendo in corpore, velut extra corpus, in carne, non secundum carnem peccati. Adeoque tales non tam defacto mori, ex quo jam mortui sunt, quam potiùs vivere incipere. Et si moriuntur, illos in Domino mori non quasi in mundo, non in peccato, non in carne, non in se: quia pridem his omnibus, sibiq; mortui, mundum carnem seque ipsos crucifixerunt cum vitiis. Præterea in Domino non extra Dominum: in Domino hoc est in ejus gratia, protectione speciali, & amore. Unde ulteriùs, talium mors quid aliud potiùs, quàm quies. Ideo illos ex hoc mundo decedere, non ut crucientur, sed ut requiescant à laboribus suis. Aliis mors initium laborum, suppliciorum, ærum-

narum: his autem, finis horum omnium, initium autem quietis, beatitudinis, vitæ melioris, coronæ immarcescibilis. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Ita enim morientes, eâ promptitudine ac celeritate, iis desideriis in cælum, vitamq; alteram feruntur, ut videantur præcurrere merita sua. Alios videntur præcurrere, antecedere opera illorum, ita ut illi sequantur, & quidem reluctanter, invitè, lentô admodum passu. Hi è contra. Præterea sequi illos opera eorum pia, sancta, meritoria, non peccata, non demerita.

Et hoc ipsum facere illos beatos in æternitate tota.

Additur verò: *Amodo dicit Spiritus*: quia mundus, caro, diabolus, longè alia dicit, longè alia persvadet, alia longè pollicetur: sed minimè beatus, imo maledictus, qui non Spiritui, sed mundo, carni, diabolo, auscultat. Experietur in morte fructum & exitum auscultationis suæ. Beati verò millies, qui dicentem, svadentem Spiritum audivere, secundùmq; eundem spiritum vixere, & non secundùm carnem.

Quibûs expensis, similem tibi fac provideas beatitudinem, eamq; tibi, quantûm potes, demerere.

Colloquium ad Christum agonizantem in horto Getsemani: adèoq; hâc agoniâ præludentem morti & agoniæ in cruce, petendo ab eodem Christo, ut tibi quòq; eandem gratiam impertiri dignetur, nempe gratiam moriendi mundo, carni, diabolo, vivendi autem soli Deo, eâq; morte voluntariâ, anticipandi extremum agonem, ad illumq; te omnimodè præparandi, ne tibi accidat improvisus.

MEDITATIO XXVI.

DE IUDICIO UNIVERSALI.

FUndam: Visio Joannis Apoc: 20. *Vidi* (inquit) *thronum magnum, candidum, & sedentem super eum: à cujus con-*

 spectu

spectu fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis. Et vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ. Et judicati sunt mortui, ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum. Et dedit mare mortuos, & mors, & infernus, dederunt mortuos suos. Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis: & qui non inventus est in libro vitæ.

Prælud: 1. Horum omnium imaginatio.

Prælud: 2. Pete gratiam concipiendi salutarem timorem Judicij Divini.

PUNCTUM I.

Præludia judicij.

COnsidera quæ immediatè ante Judicium eventura sunt. Atq; imprimis mare, mors, infernus, dabunt mortuos suos: hoc est ad sonum tubæ Angelicæ, omnes quàcunq; morte olim mortui, sive aquis & mari suffocati, sive in terra sepulti, in suis corporibus resurgent, ita ut etiam ex inferno egressuræ sint animæ damnatorum, ut assumant corpora sua.

Hic expende quæ erit facies, quæ exultatio, & tripudium, animarum Sanctarum? Et è contrà, quæ facies animarum, damnatarum sua corpora assumentium. Quæ uniuscujusq; animæ sive electæ sive reprobæ ad suum corpus allocutio, & mutua consalutatio.

Quibûs expensis te reflecte, in quorum tunc numero tu fortè futurus es?

PUNCTUM II.

Tragædia judicij.

COnsidera ipsam Tragœdiam judicii, seu ea, quæ in ipso judicio agenda sunt. Quomodò juxta visionem S. Joannis, quomodò inquam super thronum magnum & candidum, Deus Judex apparebit. Super thro-

num magnum, propter Judicis tanti majestatem, ut eâ magnitudine, & majestate, magnitudines & majestates terrenas confundat, pusillasq; in sui comparatione ostendat. Candidum. Quia nullus ibi erit locus fraudis, doli, Hypocrysis, tenebrarum: omnia candida. aperta, manifesta, luce meridianâ clariora. Jam quali facie? quô intuitu? Quomodo ab ejus primo conspectu fugiet cælum & terra? scilicet in literali sensu, Planetæ, ac stellæ sive cadent, sive extinguentur, terra autem cum omnibus splendoribus suis, flammis, à vultu ejus cadentibus exuretur: aut etiam adeò ingenti terrore ac trepidatione cælum & terra concutientur: ut si possent, à conspectu Dei effugerent. Idem de electis per cælum, de reprobis per terram significatis, si timor in sanctos cadere posset. In alijs autem interpretationibus, ac sensibus, intelligi instantias, mediationes, patrocinia, sive à terra, seu à Cælo, sive ab Angelis, sive ab alijs electis, quæ jam tunc locum non habebunt apud supremum Judicem: aut etiam statum viatorum, statum meriti ac demeriti posse intelligi, quæ tunc cessabunt & quasi aufugient.

Considera 2dò. Quod S. Joannes enuntiat. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni.* Nempe per magnos, intelligi Reges, Principes, nobiles, ætate provectos: per pusillos; plebejos, pauperes juvenes, pueros, infantes, ex iisque tam electos quàm reprobos; aut etiam intelligi per utrosq; magnos & minores Sanctos, magnos & minores peccatores. Expende hic quæ utrorumq; consistentia? quæ species?

Considera 3tiò. *Libros apertos esse, & alium librum qui est vitæ, & judicatos mortuos ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.* Ubi expende; per libros apertos, intelligi libros, in quibus descripta erant peccata, & nomina reproborum. Per librum vitæ, intelligi eum librum, in quo erunt merita & nomina electorum. Primum volumen, dicuntur libri, ob multitudinem peccatorum & damnatorum:

secundum volumen dicitur liber, ob paucitatem bonorum operum & electorum. Ubi adverte; expressè dici, libros illos tunc aperiendos. Quia nunc clausi sunt: Nescitur quisnam ad librum vitæ, quis ad libros damnationis pertineat, cujus nomen libro vitæ, aut libro reproborum inscriptum? Tunc autem idipsum patebit. Nesciuntur præterea multorum merita ac demerita, virtutes ac scelera occulta. Verùm & hæc omnia tunc erunt toti mundo manifesta, ita, ut nihil absconditum à constitutione mundi, orbis notitiam effugiat.

Considera 4tò Judicandos mortuos ex his, quæ scripta sunt in his libris. Nempè ex actionibus & operibus, meritis ac demeritis, utriq; libro inscriptis. Ubi etiam animadverte, quòd nullus ibi futurus accusator, patronus, testis: totum judicium, librorum illorum accusatione & testimonio, absolvendum; ita ut nullus audeat inficiari & contradicere, exclamando: *Justus es Domine & rectum judicium tuum.*

His expensis, excute tuam conscientiam, ejusq; statum, & recogita: si in eo statu morereris? qualis in die judicij appareres? tuum nomen quo libro legeres? quid tunc coram toto orbe erubesceres? qualem erga te faciem judicis spectares, quâ parte, dextrâ, vel sinistrâ consisteres? &c.

PUNCTUM III.

Cathastrophe & exitus Judicii.

COnsidera exitum & Catastrophen judicii: Nempe quòd infernus & mors mittendi in stagnum ignis. Et qui non inventus fuerit scriptus in libro vitæ.

Ubi Expende primò decretum ultimum Judicis, tam favorabile in partem electorum: *Venite benedicti*; quàm etiam horrendum contra damnatos: *Discedite maledicti*

Expende 2dò Horum in cælum lætum & felicem abitum: illorum in infernum, in stagnum ignis, violentam raptationem, ac nimis lamentabilem? Per

Per mortem etiam ac infernum missos in stagnum ignis intellige statum mortalitatis ac demeriti, quæ jam á die judicij cum damnatis præcipitabuntur in abyssum, ita ut damnati quærant mortem & non inveniant. Præterea intellige mortem æternam, pænasq; æternas, in quibus iidem damnati, in eodem stagno versabuntur.

Expende insuper, per stagnum intelligi malam æternitatem, & pœnas semper duraturas. Unde dicitur non fluvius, cujus aquæ transeunt, sed stagnum, in quo eædem aquæ semper stagnant & permanent.

His expensis recogita, quid de te futurum sit, quod te decretum maneat in eodem Dei judicio? In quorum numero futurus sis; in eorumne, qui audituri sunt: Venite benedicti &c. an eorum qui sunt audituri: Discedite maledicti? Quæ te præterea æternitas maneat, beata, an mala? Cura proinde, dum vivis, ut favorabilem tibi demerearis sententiam.

Colloquium & affectus sint ex prosa Ecclesiastica: Dies iræ &c. illud recitando usq; ad finem: *Rex tremendæ majestatis &c.*

MEDITATIO XXVII.

De Judicio Particulari.

FUndam: Visio Balthasaris Regis Dan 5. *Ubi dum rex celebraret convivium juberetq; adferri, vasa templi Salomonici, in eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis in superficie parietis. Tunc Facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur. Hæc autem scriptura erat: Mane, Thecel, Phares: hoc est: Numeravit Deus regnum tuum & complevit illud. Appensus es in statera & inventus es minus habens. Divisum est regnum tuum, & datum est Persis & Medis.*

Prælud: 1. Imaginatio hujus ipsius.

Prælud: 2. Apprehende simile fore judicium particulare.

Prælud: 3. Petè gratiam concipiendi salutarem timorem ex consideratione judicii particularis ejusdem.

PUNCTUM I.

Incertitudo temporis judicii particularis: Tum Incertitudo sententiæ pro nobis vel contra nos ferendæ.

CONsidera per hanc visionem Regis Balthasaris adumbrari judicium nostrum particulare. Atq; inprimis expende hæc verba: *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis in superficie parietis.* Nempe eâ horâ, qua ille epulabatur, qua maximè divinam accumulabat offensam, quâ minimè sperabat, minimè cogitabat de Dei super se vindictâ. Idem verò de judicio uniuscujusq; particulari. Nimirùm illud non habere, sibi certum tempus præfixum, quôcunq; tempore, quâcunq; hora & momentô, potest ingruere. Ingruere autem illud ordinarie, cùm minimè speramus, dum de illo cogitamus minimè, dum maximè, quæ mundi sunt ac vanitatis, agimus, iisq; occupamur. Interim hoc certum esse, judicium particulare absolvi circa discessum hominis è vita, atq; ita juxta plerosq; immediatè ante mortem. Juxta alios in ipso extremo agone. Tandem juxta communiorem sententiam immediatè post agonem & exitum animæ de corpore.

Quidquid sit: expende horam illam nimiùm ancipitem, nimiùm plenam periculi, & trepidationis. Horam illam esse, quæ me, vel æternùm felicem, vel per æternitatem infelicissimum efficiet, quæ me vel cælo vel inferno transmittet. Balthasaro hæc fuit præcipua perturbationis causa, quòd viderit manum in pariete regio scribentem: nec illud satis intelligeret, quòd contra se scriberet sententiam, & qualenam eadem scriptura contineret decretum. *Tunc ingressi sapientes Regis, non potuerunt scripturam legere, nec interpretationem indicare Regi.* Unde Rex Balthasar

thasar satis conturbatus est & vultus illius immutatus. Atq; sic ex hoc planè capite, illa etiam hora maximè terribilis, quòd tunc unusquisq; vivacissimè apprehendet, ultimam sibi illicò à supremo judice imminere sententiam, nec nosse poterit, qualis nam illa, an favorabilis, an fatalis futura sit?

Vide quò animô & sensu hanc horam expectas? quomodò meministi illius, quomodò & quâ sedulitate ad illam, ac imminens post illam judicium te præparas?

PUNCTUM II.

Considera Balthasari apparuisse digitos manûs hominis Scribentis: Quid igitur tantopere timuit? manum scilicet non gladio armatam, sed penitùs inermem, neq; extentam ad verbera, aut minantem, sed nonnisi nudis digitis scribentem. Non ibi præterea vultus irax, facies fulminea, ignei oculi apparuerunt. Nempe etiam in judicio particulari, nihil terribilius illâ ipsâ scripturâ, nostra demerita, ac feralem sententiam continente. *Adjuncta judicij particularis.*

Atq; hinc ulterius expende, quânam specie, Deus judex in judicio particulari ordinariè appareat? nimirùm forsitan longè terribili, quàm cum olim contra Balthasarem scriberet sententiam. Jam non solis inermibus digitis, sed totâ manu, gladiô, vel fulmine armatâ: Toto vultu horribili, oculis ignem spirantibus. Quanquàm conjectura est: aliâ specie apparere electis, aliâ improbis: Improbis illâ, quam dixi, horrendâ: Electis paululùm amabiliori.

Quidquid sit: recogita qualemnam vultum illius tibi pollicèris. qualemnam tibi demereris etiam? quâ fronte, quô animô illum tunc spectabis? cui pro tot beneficiis te ingratum præstitisti, quem offendisti toties. Jam quis tunc terror, quæ trepidatio, quis animus? Si enim ad trium digitorum aspectum, Balthasar sic commotus est, ut facies

illius

illius commutata sit &c. Quid erit, cum totus Judex, miſ-rum in modum terribilis iraq; incenſus apparuerit?

Adverte verò Balthaſarem non à Leonis aut Elephanti, aut monſtri alicujus, nec à Dæmonis aſpectu perterrefactum, ſed à manu hominis: Quid enim in judicio erit terribiliùs, quid graviùs, facie & manu Chriſti humanâ, manu clavis confixâ. Hæc certè gravior ac terribilior erit facie leonis, aut gladio ancipiti.

Vide ut ita vivas, ut non habeas, quod te in die judicij conturbet, propter quod vultum Dei judicis extimeſcas: ob quod idem Judex terribili & iracundâ ſpecie tibi appareat.

PUNCTUM III.

Reliqua adjuncta Judicij & ultima ſententia.

COnſidera hæc verba: *Numeravit Deus regnum tuum &c.*

Atq; hinc expende quæ tecum in judicio particulari agenda ſunt. Nempe numerandos non tantùm annos; ſed etiam dies & horas vitæ tuæ. Quamdiu vixiſti, Rex fuiſti, ac Dominus familiæ, & quorumcunq; tibi ſubjectorum: inſuper Rex tui ipſius, tuarum paſſionum, affectuum, appetituum, juxta illud, *ſubter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: Numerandum igitur, atq; examinandum iſtud regnum tuum, quomodò illud adminiſtraveris? Complendum ſtatum meriti & demeriti, ita, ut non amplius futurum ſit tempus, quô vel cælum lucreris, vel inferni ſententiâ te eximas, vitæ anteactæ errores emendes. Excutiendas inſuper omnes actiones, cogitationes, verba, & opera; bona, & mala. Hæc eadem, in ſtatera Dei Judicis, appendenda. Futuros ibi non dubium, tot alios tecum, qui eô tempore exceſſêre è vivis, rapiendi ad idem judicium, ejuſdem Tragædiæ participes. Tunc ſequendam illam diviſionem plenam ſenſûs & doloris: quâ, alij rectâ ad cælum, alij ad purgatorium, alij ad infernum deputandi erunt. O dolenda ſanè, plena amaritudinis, & invidiæ diviſio!

Vide

Vide & recogita; quo statu, quavè sorte, res tuæ nunc futuræ sint? aut quo essent, si hac hora ad tribunal Dei Judicis rapereris?

Colloquium & affectus ad Christum apud Annam & Caipham accusatum, falsis testimonijs appetitum, apud Pilatum judicatum, crudeliq; condemnatum sententiâ: petendo per hanc ejus accusationem & condemnationem, ut tibi in suo judicio sit propitius & clemens.

MEDITATIO XXVIII.

De favorabili DEI judicio.

FUndam: Visio S. Joannis cap: 4. Apoc: *Fui* (inquit) *in spiritu: & ecce sedes posita erat in cælo: & supra sedem sedens. Et iris erat in circuitu sedis. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.*

Prælud: 1. Eadem visio Imaginanda.

Prælud: 2. Apprehende in hac visione exhibitam favorabilis Dei Judicij effigiem.

Prælud: 3. Pete gratiam expendendi media & vias, reddendi tibi favorabile Dei judicium.

PUNCTUM I.

Via ad favorabile Judicium Innocentia & Puritas Conscientiæ.

COnsidera per hanc visionem adumbrari favorabile Dei judicium. Quid enim aliud iris quæ est symbolum clementiæ & pacis, in circuitu sedis Judiciariæ posita significat?

Jam expende modum & viam qua perveniri possit ad hoc favorabile judicium? Nimirum per mare vitreum simile crystallo *in conspectu sedis* (inquit Joannes) *mare vitreum &c.* Per hoc autem mare significari munditiem cordis, puritatem conscientiæ. Inprimis enim mare, cadaverum

omnium est impatiens, cum illico quidquid esse potest emortui, in littus ejiciat. Vitrum etiam, tanto magis crystallum à nævis abhorret.

Introspice hîc animam tuam: & si mundam & velut chrystallinam, à peccatis saltem gravioribus inveneris? favorabile tibi judicium poteris polliceri.

PUNCTUM II.

Item seria de peccatis cōmissis pænitentia.

CONsidera per hoc mare à plerisq; intelligi sacramentum pœnitentiæ, quo nobis favorabile Dei judicium reddimus. Ut reddidit S. M. Magdalena dum audire meruisset: *Remittuntur tibi peccata: Vade in pace*: ubi plane illi iris pacis, ac fæderis nuntia illuxisse visa. Eodem modo Maria Ægyptiaca, Thais, S. Jacobus Eremita & alij peccatores & peccatrices. Expende vero nostram pænitentiam, ut nobis ad sedem Dei Tribunalitiam Iride conspicuam, accessum faciat, debere esse sicut mare ob magnitudinem & abundantiam doloris & contritionis juxta scripturam: *O quam magna sicut mare contritio tua.* Debere præterea esse mare non qualecunq; sed vitreum & crystallinum ob manifestationem exactam omnium peccatorum. Non aliter quam vitrum & crystallum, quod minimos etiam pulvisculos & nævos non occultat, sed manifestat & prodit: quanto magis trabales notas. Tandem debere esse pænitentiam adinstar maris ob firmitatem propositi, ut de homine pænitente & obfirmato in suo proposito illud verificari possit, quod de mari intra suos sese continenti terminos, scriptura: *Usque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*: id est passiones, appetitus, impetus naturales, habitus, inclinationes suggestiones &c.

Vide quis in te hujus Sacramenti usus, quàm accuratus quàm exactus; qua manifestatione peccatorum, quo dolore, quo proposito, qua satisfactione? PUN-

PUNCTUM III.

Considera, esse, qui per hoc idem mare intelligunt ærumnas, amaritudines, adversitates hujus vitæ, usum præterea mortificationis externæ. Per quæ etiam omnia ad favorabile judicium nobis accessus patet: ita tamen; ut hæc ipsa non sint adinstar unius torrentis & rivuli, sed maris adinstar, quod gravissima etiam onera & moles sustinet, remis undiq; flagellatur & concutitur, mordetur anchoris, ventis omni ex parte, nec Euris tantum & Zephiris, sed Aquilonibus etiam afflatur, commoveturq;, vexatur, amaritudine & salsedine absq; stilla dulcedinis diffunditur: absorbet & absumit omnia; & inter hæc, intra suos sese coercet terminos: non sicut rivulus vel torrens, qui minimo tempestatis & pluviæ accessu exundat, & totam circumquaq; viciniam insana quasi vindicta populatur. Hìc verò præcipuum locum habent merita & passio Christi per mare significata: Mare gratiarum Beatissima Virgo. *Patientia, mortificatio &c.*

Vide quomodo in his omnibus præcipuè in cultu Passionis Christi & Beatissimæ profeceris?

Colloquium & affectus ad Christum olim hìc in terris erga peccatores benignum & faventem, petendo ab eodem; ut hac eadem benignitate favore & clementia erga te in judicio uti velit.

MEDITATIO XXIX.

De occultis DEI judicijs.

Fundam: Visio Ezechielis cap: 2. *Et vidi & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me: qui erat scriptus intus & foris, scriptæ erant in eo lamentationes, carmen, & væ.*

Prælug: 1. Imaginatio ejusdem visionis.

Prælud : 2. Apprehende exhibitam in hac visione occultorum Dei judiciorum veram iconem.

Prælud : 3. Pete gratiam expendendi eadem occulta Dei judicia, atq; salutarem illorum timorem concipiendi.

PUNCTUM I.

COnsidera per hunc librum involutum Ezechieli porrectum, adumbrari librum occultorum Judiciorum Dei.

Inprimis enim hic liber scriptus intus & foris, nempe ob multitudinem & abundantiam Judiciorum Dei circa homines, ipsum librum excedentem, adeoq; illum opplentem undiq; seu quod judicia de electis cum nominibus eorundem intus inscripta. Judicia de reprobis inscripta foris.

Deinde idem liber dicitur involutus: hoc est quoad arcana in illo contenta à notitia hominum absconditus.

Tandem dicuntur in eo scriptæ lamentationes, Carmen, & væ. Per lamentationes intelligitur pænitentia, gemitus, lacrymæ peccantium. Per carmen, status, lætitia, & solatia innocentium à peccato. Per væ intelligitur status reproborum ac damnatorum. *uti Cornel: à Lap.*

Judicia Dei circa statum panitētium.

Atq; hic expende, circa hæc tria verti occulta judicia Dei. Idq; primò circa statum ac pænitentiam peccatorum. O quot enim hic judicia Dei, quanta abyssus eorum, quàm terribilis? Nimirum mensura illa gratiarum efficacium vel sufficientium, tot & non plurium in his, vel illis circumstantijs, tribuendarum. Item mensura & numerus peccatorum: qua expleta, nullus ad gratiam & misericordiam accessus nulla veniæ salutisq; æternæ spes. Et quia hæc mensura tam gratiarum quam peccatorum nobis penitus ignota, quantùm proinde justa timoris ac trepidationis occasio! simile quid mensura annorum ac dierum vitæ humanæ, de qua scriptura; Posuisti mensurabiles dies ejus. Quæ etiam mensura pariter nobis ignota adeoq; terribilis, præsertim peccantibus, quòd illam facilè ac insperatò adimplere possint non-

dum peccatis per pænitentiam deletis: ita ut nec spatium habeant, dolendi, percutiendi pectus, eloquendi, imò suspirandi *Deus propitius &c.* Quanquam & illud de ipsius pænitentiæ usu admodùm horribile: quod scias te Deum offendisse, scias te pænituisse peccatorum, illa te esse cum omnibus quo ad te requisitis confessum, doluisse te de ijsdem. Et interim nescias, an id feceris aliquando prout oportet ad salutem? an per id placatum tibi Deum Judicem reddideris? an remissionem peccati adeptus sis? Eademq; te dubitatio manet, etiam post mille confessiones, & dirissimas pænitentias peractas.

Expende ista, & si te in hoc statu adverteris, exhorresce!

PUNCTUM II.

Judicia Dei circa statum innocentiæ.

COnsidera judicia Dei occulta circa statum innocentiæ, & hominum à peccato immunium. Quàm scilicet inprimis illud sit terribile. Quòd nemo sciat, ex viris etiam in hominum opinione sanctis, an odio an amore Dei dignus sit? an sit in gratia Dei, vel non? Quamvis verò id etiam evidentissimè sciret: illud nescit, an in sua innocentia, in gratia sit perseveraturus ad finem? Cum non unus fuerit (quòd terribilius est) qui toto vitæ suæ tempore in innocentia & gratia Dei vixit, & pænè in articulo mortis miserè lapsus, æternùm periit. Hinc illa vox Innocentissimi B. Aloysii Gonzaga: *Columnæ Cæli ceciderunt, mihi misero quis promittit perseverantiam!* Non es innocentior Angelis prævaricatoribus, imò neq; es ita innocens ut illi: quomodo igitur potes esse securus? Huc prætera & illa: *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus, & in Angelis reperit pravitatem. Væ etiam laudabili vitæ hominum. Non secundùm intuitum hominis ego judicio.* Quanquàm nec illud etiam innocentissimo cuiq; omnimodè constat, quòd sit innocens, quòd in innocentia perseveret. Quid dicendum

dum de prædestinatione nostri ab æterno, quamvis ad æternitatem bonam? Hoc tamen etiam nobis ignorum. Quid de filo ac serie prædestinationis? Nimirum quod Deus disposuerit ab æterno omnem seriem prædestinatiois nostræ, cum multis tamen nobisq; occultis ac ignotis conditionibus: *v. g.* si hunc, vel illũ instinctum acceptaveris, trahes velut catenam tot aliarũ gratiarum, cum quibus certò salvaberis. Si hanc crucem, hanc afflictionem sustinueris, si in hac vel illa occasione, intimè læsus, silueris: si in hac vel illa tentatione, habitu, defectu, te ipsum superaveris: si in religione hoc vel illud abjectum officium non excusaveris: illo religiosè perfunctus fueris. Et tot alia tibi ignota.

Expende ista & exclama: *Judicia Dei abyssus multa!*

PUNCTUM III.

Judicia DEI *circa statum reproborum.*

CONsidera occulta Dei judicia circa statum malorum, ac reproborum. Quàm & hic horrenda, imò horrendissima omnia! maximè illud: quod ab æterno præscierit Deus te damnandum in æternum. Et hoc ipsum tibi ignotum sit. Quodsi tibi de innocentia aut sanctitate blandiris? an nescis quod & sancti & innocentes, plurimi reprobi! Quid illud? *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Præterea: quod de Saule, ad Samuelem: *Usquequo tu luges saul, cùm ego projecerim eum.* Item quod de Antiocho? *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* Quid insuper illud? quod multi post plurima peccata salvati, non rari post unum peccatum etiam sola cogitatione admissum damnati in æternum.

Quibus expensis, super abyssum judiciorum Dei obstupesce, simulq; bonorum operum accumulatione seria, spem tibi de tui ad gloriam æternam prædestinatione confirma.

Colloquium & affectus ad abyssum bonitatis & misericordiæ

cordiæ, nempe ad cor Jesu, petendo ab ipsomet Christo, ut te in hanc cordis sui abyssum recipiat, ne in abysso judiciorum Dei æternùm pereas. Conclude aspiratione: *Non intres in judicium cum servo tuo.*

MEDITATIO XXX.

De Inferno.

FUndam: Visio seu Historia Evangelica Luc: 16. *Ubi mortuus est dives & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu ejus, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos Chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neq; inde huc transmeare.* Et ait. *Rogo ergo te Pater, ut mittas in domum Patris mei: habeo enim 5. fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Prælud: 1. Fiat imaginatio ejus Historiæ, idq; per applicationem sensuum ad normam meditationis S. Patris de inferno.

Prælud: 2. Pete gratiam apprehendendi pænas inferni easq; evitandi.

PUNCTUM I.

Pænæ damnatorum in inferno eorumq; damnationis adjuncta.

COnsidera pænas inferni prædicta historia epulonis adumbratas.

Ac inprimis expende: quanta ibi flammarum sævities, eo usq; elevata, ut in animas etiam grassetur. Tum

quoad

quoad Epulonem? quid eum ad hoc coegerit, ut eam tantopere incusarit, ut vel à Lazaro guttam aquæ ad refrigerandam linguam tantis precibus postularit?

Expende 2dò. Prodigiosam inter tot tantasq; flammas damnatorum, ad ulteriores, easq; pro tota æternitate subeundas pænas conservationem. Exclamat epulo ad Abraham: *mitte Lazarum*. Quid vociferaris insane? nosti quanta tui à Lazaro distantia? antequam ille cum aquæ tantillo deveniat, imò ne medium quidem spatii emetiatur, tu totus concremaberis abiturus in favillas, ne tantilla quidem tui parte, ad ejus adventum residua. Minimè inquit! Expectabo, durabo! Immortalem materiam gero, nequaquàm illis ignibus absumendam: æternitati cremandum sufficiet, quod crematur!

Expende 3tiò nullam esse ex inferno redemptionem. Hinc Abraham ad Epulonem: *In his omnibus inter nos & vos Chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neq; inde huc transmeare.* Ubi adverte, nec beatos posse ullô modô damnatis succurrere, eosq; ad solandum invisere. Neq; etiam damnatos ex loco tormentorum ullo modo egredi, ideoq; tota æternitate eo tam horrendo carcere absq; ullo solatio detinendos esse.

Quartò expende: quid sit, quòd hic epulo de suis fratribus adeò sollicitùs, petit ab Abraham, ut mittat quempiam ad eosdem, qui illis exponat infernalium suppliciorum gravitatem, *ne veniant* (inquit) *in hunc locum tormentorum.* Unde hæc illi de suis sollicitudo, & cura? Unde hæc pietas, unde hic zelus? Verùm novit ille abunde quidnam flagitarit, non tam illis quam sibi hac in parte providendo. Nempe in inferno præter alia, insignem tormentorum accessionem esse, ex multiplicato damnatorum consortio, ita ut eo plus illis tormenti accedat, quò major eorũdem ad locum inferni accessus. Idq; tum ob angustias illius infernalis ergastuli, tũ ob mutuas divexationes, maledictiones, morsus caninos ad invicem, præsertim ex conjunctione ac societate Complicum,

cum, vel consanguineorum, amicorum, fratrum, parentum, filiorumq; &c.

Expende 5tò. Cur hic epulo maximè de lingua conqueratur? num alijs etiam membris non arsit? num capite illo ac cerebro, quo mille dolos & fraudes adversùs proximum excogitabat: oculis, quibus Lazarum toties despexit, manibus, quas ad rapinas injustas extendit? Nempe in inferno damnatos in illis membris maximè cruciari, quibus magis ad Dei abutebantur offensam.

His verò expensis salutarem timorem concipe: ne & tu in hunc locum tormentorum devenias aliquandò!

PUNCTUM II.

Demerita epulonis aliorumq; damnatorum.

COnsidera ob quæ peccata hic epulo tantam damnationem incurrerit? Non hic illi objicitur, quòd injustè aliquid rapuerit, quod innocentem oppresserit, occiderit, sed nonnisi quod receperit bona in vita sua. Nec alibi etiam de illo aliud innuitur: Nisi quod *Epulabatur quotidie splendidè. induebatur bysso & purpura, dicebat intra se, destruam horrea mea, & majora faciam: Epulare anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos.* Tandemq; quod Lazaro cupienti saturari de micis, quæ cadebant, de mensa, has ipsas negaverit, nequaquam erga illum misericordiâ commotus. Nec plura, ob quæ damnationi addictus, ullibi recensentur. Indeq; patet sola hic aut peccata omissionis, aut illa objici, quæ pro peccatis à mundanis hominibus non habentur. Hæc autem talia quis tantoperè æstimet, quis propter illa addicendum se inferno reputet? Nimirùm alia Dei judicia à judiciis humanis: Jn hoc verò maximè tremenda: quòd Abraham præfato epuloni insinuat: *Recepisti bona in vita tua*: acsi Deus æternis illos servet paretq; supplicijs: quos hic prosperitatibus ac fortunis auget.

Excute hic tuam conscientiam, & ob hæc ipsa, quæ tibi

parum æstimas, & ne quidem illorum scrupulo tangeris, inferni supplicia timere incipe: conferendo etiam tua peccata religiosa cum peccatis ac demeritis Epulonis: simulq; tuos quoscunq; in vita successus & prosperitates suspectas habe.

PUNCTUM III.

Sera ejus resipiscentia & correctio erratorum similisq; in aliis damnatis.

CONsidera seram hujus Epulonis resipiscientiam & correctionem.

Nempe inprimis *cùm esset in tormentis* sursum oculos ad Abraham & Lazarum elevat, qui dum viveret, semper terrenis contentus, vix aliquando oculum ad cælum direxit, ipsum Lazarum ad januam suam mendicum superbè despexit toties.

Præterea Abraham Patrem compellat, qui nec Deum in vivis Patrem agnoverat. Appellat Patrem: cui damnato nullus amplius Pater, nullus amicus esse potest, nisi Judex, nisi accusator, nisi tortor.

Implorat misericordiam, qui hanc superstes in vita, contempserat, aut in spem ipsius largius peccaverat.

Guttam petit aquæ, qui olim pretiosis liquoribus vix erat contentus, illorumq; toto pænè diluvio, haud extingvebat sitim.

De Lazari digito guttam lingere non dedignatur, qui antea aspectum etiam Lazari non ferebat.

De fratribus suis adeò est sollicitus: *ne veniant* (inquit) *in hunc locum tormentorum*, qui olim propriæ animæ salutisq; tantopere erat incurius, negligens. En quanta igitur & in quantis resipiscentia & emendatio.

Verum sera nimis hæc omnia! Frustra in altum elevat oculos, unde nihil auxilii ac solatij habiturus. Frustra Patrem invocat, qui non nisi severum sui Judicem experturus est. Quis nam illi é beatis Pater esse possit, quem Deus pro filio amplius non est agniturus. Frustra implorat miser-

sericordiam, ad quam ei pro tota æternitate aditus est præclusus, ita, ut ille Deus tam bonus, tam clemens & misericors, damnatis bonus esse & benignus non possit. Frustra guttam aquæ rogat, adversùs quem, cor divinum duruit in adamantem, ita ut ne gutta quidem potens sit ex eo defluere in levamen damnatorum.

Expende ista, ac tempestivè in ijs, in quibus hactenus exerrasti, resipisce.

Colloquium ex ijs verbis Prosæ Ecclesiasticæ. *Recordare JESU pie, quod sim causa tuæ viæ. Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. Preces meæ non sunt dignæ, sed tu bonus fac benignè, ne perenni cremer igne.*

MEDITATIO XXXI.

De purgatorio.

FUndam: Visio Danielis cap. 7. *Aspiciebam* (inquit) *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & thronus ejus flammæ ignis. Et fluvius igneus rapidusq; egrediebatur à facie ejus.*

Prælud: 1. Imaginare eandem visionem.

Prælud: 2. Apprehende in ea exhibitam purgatorij imaginem.

Prælud: 3. Pete gratiam penetrandi pænas purgatorij, easq; divina misericordia evitandi.

PUNCTUM I.

Duplex pæna in purgatorio pæna sensus & pæna damni.

COnsidera per hunc fluvium à facie Judicis procedentem posse intelligi purgatorium, quod ab ore Dei in nos decernitur. Atq; hic expende pænas & tormenta, quibus Sanctæ animæ in hoc fluvio excruciantur. Expende inquam inprimis pænam sensûs per ignem, quo hic fluvi-

fluvius ardebat, significatam: eamq; cum omnibus mundi tormentis ac ærumnis compara. Tum deinde pænam damni per fluvium rapidissimum ab ore Dei egredientem animasq; expiandas, à facie & conspectu ejus violenter abripientem denotatam, eamq; longè gravissimam ex multis argumentis & circumstantijs tum similitudinibus pro hac parte adductis, quæ consideranti patebunt. Unde hic conclude & exclama: *Quam horrendum sit incidere in manus* DEI *viventis.*

PUNCTUM II.

Discrimen purgatorij ab inferno, ac difficultas illud evadendi.

COnsidera discrimen purgatorij ab inferno. Neq; per hoc differe pænas purgatorij à pænis inferni, quòd hæ majores & graviores, leviores illæ. Certum enim esse, saltem aliquos intensiorem longè pænam in purgatorio subire, quam defacto multi subeant in inferno. In hoc igitur potius ista utraq; differe: quod in inferno pæna æterna: in purgatorio pæna temporalis. Unde infernum in scriptura, lacu vel stagno ignis denotari. Jam autem purgatorij pænas esse adinstar fluvij, quod effluant & transeant aliquando, tandemq; nos post enavigatum hunc fluvium, cælo velut portui transmittant.

Hinc ulterius expende: quod sicut non aliter in portu fas est consistere, quàm enavigato amne: ita difficillimum esse, ut quis portum ac stationem cælestem teneat, & hunc fluvium purgatorij igneum enaviget: ideoq; rarissimum inveniri, etiam è Sanctioribus viris, qui recta ad cælum perveniat.

Inde recogita: quid de te futurum sit: de te inquam, qui non tantùm nullam Sanctitatis, sed etiam religiositatis umbram præfers: an non te potius purgatorij loco, infernus maneat? si enim hæc in viridi, quid fiet in arido?

PUNCTUM III.

COnsidera purgatorium esse adinstar fluvij, idq; præter alia, ex eo capite, quod sicut ii, qui fluvio navigant, alij citiùs portũ attingunt, alij seriùs, Ita pænas purgatorij alijs longiores, breviores alijs: alis tandē longissimas ad multos annos ad ipsum etiam diem judicij producendas: idq; pro levioribus nostra opinione culpis, ut constat ex tot probatis historijs. *Tempus purgatorijlongius, brevius.*

Hinc expende ac recogita, qualenam purgatorium tuas noxas expectet, quam diuturnis illæ purgatorij supplicijs dignæ: Atq; simul conclude: quàm tibi abhinc cautè, circumspectè, in timore & tremore vivendum sit, juxta Job de sese profitentem: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Unde intra te statue, venialia graviora eaq; saltem deliberata omni diligentia cavere.

Colloquium & affectus verbis S. Augustini: *Æterne Deus, hic ure hic seca, modo in æternum* ac in purgatorio *parcas:* aut saltem levius punias.

MEDITATIO XXXII.

De Purgatorio in vita.

FUndam: Visio Joannis Apoc: 15. *Vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam & imaginem ejus, stantes super mare vitreum habentes cytharas DEI, & cantantes canticum Moysi servi DEI.*

Prælud: 1. Fiat imaginatio ejusdem visionis simulque apprehende purgatorium in vita, illâ exprimi.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi modos & vias evadendi post mortem purgatorium, illudq; potiùs in hac vita expediendi.

PUNCTUM I.

Quomodo per mare vitreum & per stantes super illud purgatorium in vita, intelligitur?

COnsidera per hanc visionem rectè adumbrari purgatorium in vita.

Atq; inprimis per mare vitreum, præter conscientiæ, præter pænitentiæ sccramentum, præter actus doloris de peccatis, præter merita Christi, & cultum patrociniumque Beatissimæ Parentis, præter indulgentias, præter ærumnas, amaritudines, morbos, adversaq; hujus vitæ: præter usum mortificationum, ac pænitentiarum externarum; posse præterea intelligi mortificationem internam passionum, affectuum, præsertim iræ: tum etiam mortificationem sensuum: usũ insuper actuum heroicorum ac victoriarum sui: Ut non mittam tolerantiam detractionum, diffamationum, censurarum, delationum, informationum sinistrarum, Judiciorum &c. quæ omnia nobis quoddam purgatorium in hac vita efficiunt, in iisq; tanquam in mari igneo velut aurum in igne purgamur.

Per stantes autem super hoc mare intelligi eos, qui hoc purgatorio egregiè in vita superato, sui & bestiæ hoc est mundi ac dæmonis victores, ex seculi Ægypto ad cælestem Patriam rectâ evaserunt, ideoq; triumphale Moysis ac Israelitarum canticum mare sicco vestigio transeuntium cum Cytharis ante thronum Dei occinentes.

Quibus expensis vide, quomodo & tu per hoc idem mare viam tibi ad cælum instruis, ac in eodem purgatorio versaris, ut purgatorium longè gravius post mortem evadas?

PUNCTUM II.

Quanã amplius per idem mare, purgatoriũ in vita fundantia intelligũtur?

COnsidera per idem mare vitreum posse intelligi disciplinam religiosam, labores ex obedientia susceptos, observantiam votorum exactam, abnegationem sui omniumque commodorum in victu præsertim & amictu,

Indif-

Indifferentiam in dispositionibus superiorum quo ad locum, quo ad officia, præsertim ex se onerosa, despecta. Planè enim hic & non alibi manere, hoc officium sustinere & non aliud, tamdiu præterea in eo loco & officio versari, non breviùs non longiùs sub hoc non alio superiore, cum his & non alijs æqualibus &c: vices purgatorij supplere possunt, si heroico animo sustineantur. Nec minus æquanimi & hilari vultu, ac animo uti præfati Apocalyptici viri, qui super mare & quidem mistum igne cytharizantes cum lætitia ac triumphabundi cantantes visi & auditi sunt. Vide quisnam tibi hujus purgatorij usus?

PUNCTUM III.

COnsidera hic *mare vitreum dici mistum igne*, ideoq; per illud posse intelligi igneam Charitatem Dei & proximi, amorem inimicorum, martyrium saltem in ardenti desiderio illius, specialem zelum animarum, resolutionem heroicam serviendi peste infectis, desiderium ardens videndi Deum, tum etiam desiderium ejus gloriæ propagandæ, Desiderium practicum mortis oppetendæ in & ex laboribus ærumnis, obsequio circa salutem animarum sive, in functione aliqua Religionis & pro Religione, desiderium moriendi in amore & ex amore Dei. Actus contritionis frequēs ex motivo ejusdem amoris Dei ardentis elicitus, &c. Vide quis in te hac in parte sensus, & ad prædicta animus, ac resolutio?

Quid per mare mistū igne intelligendum?

Colloquium & affectus ad 5. Christi vulnera sanguine manantia, ad eadem vulnera te conferendo, ut in eis tanquam pretiosis fontibus, omnes vitæ tuæ maculas eluas, ne mundatione sui per ignes purgatorij indigeant.

MEDI-

MEDITATIO XXXIII.

De Reditu ad cor peccatoris.

FUndam : Visio S. Petri, in carcerem ab Herode missi Actor : 12. *Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus; & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus: Dixit autem Angelus ad eum. Præcingere & calcea te caligas tuas: & fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum & sequere me. Et exiens sequebatur eum Transeuntes autem primam & secundam custodiam venerunt ad portam ferram, quæ ultro aperta est eis; Et exeuntes processerunt vicum unum & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis & de omni expectatione plebis Judæorum.*

Prælud : 1. Fiat imaginatio hujus visionis & historiæ; simulq; excitetur apprehensio Reditum peccatoris ad cor eâ exhiberi.

Prælud : 2. Pete gratiam agnoscendi conditionem peccatoris eamq; detestandi, atq; ita ad cor redeundi.

PUNCTUM I.

COnsidera hac visione & historia optimè adumbratum reditum ad cor peccatoris.

Status & conditio peccatoris.

Inprimisq; expende statum Petri in carcere juxta expositam supra historiam. Tum etiam statum peccatoris in suo peccato perseverantis : idq; instituta inter utrumq; comparatione.

Nem-

Nempe etiam peccatori pro Herode mundus,caro,diabolus : Pro carcere, mala conſcientia, aut ipſum corpus ſubditum peccatis,pro catenis & vinculis,peccata & habitus mali, ſeu prava voluntas juxta id,quod de ſe S. Auguſtinus. *Ligatus eram non ferro, ſed ferreâ mea voluntate.* Pro cuſtodibus ante oſtium vigilantibus, paſſiones, appetitus vitioſi, ſenſus immortificati. Pro nocte in qua erat Petrus dormiens,obcæcatio, obtenebratio mentis Pro ſomno,tepor & peccaminoſa voluptas. Pro duobus militibus qui dormienti ab utroq; latere aſſiſtebant, Appetitus ſenſualis & appetitus rationalis, ſed is pravæ voluntati & peccato mancipatus. Pro Petro tunc fiebat oratio ab Eccleſia : idem nunc fit ab eadem Eccleſia pro peccatoribus.

Ubi expende indigam revera neſcio quibus orationibus ac lacrymis, eam peccatoris conditionem, utpote longè ac incomparabiliter pejorem,gravioremq; quam fuerit Petri conditio in carcere, Eo quod hic fuerat in carcerem miſſus pro Chriſto, pro veritate, pro fide cum ſpe copioſæ retributionis ac præmij cæleſtis: ille ſolo illicitæ voluptatis guſtu, abſq; ſpe retributionis ullius niſi peſſimæ, ſua ſponte captivus. Petri nonniſi corpus detinebatur carcere, ſed animus plena libertate fruebatur. Peccatoris verò non corpus tantum, ſed cor etiam & anima ſerviliter catenata. Illius,unius & alterius diei,hujus tot menſium tot annorum carcer.

Quibus expenſis: vide an non ſimilem aliquando conditionem expertus fueris, vel etiamnum experiaris ?

PUNCTUM II.

Modus & ſeries reditûs ad cor peccatoris.

COnſidera modum ſeriem & adjuncta eliberationis Petri à carcere juxta prædictam hiſtoriam, eorumque ipſorum eliberationi hominis à peccato ac reditui ad cor applicationem exhibe.

Inprimisq; per Angelum, excitatem Petrum, illiusq; latus percutientem, tum per lumen in habitaculo diffusum, gratias excitantes, ac illuminantes intellige, quæ scilicet provocant peccatorem ad surgendum idq; velociter & absq; cunctatione de peccato. Per catenas de manibus cadentes, habitus malos, pravamq; voluntatem in suo æstu elangventem. Per cingulum & zonam, qua se Petrus jussus præcingere, fortitudinem & robur animi ad superanda quævis obstacula reditum ad cor impedientia. Per calceamenta & caligas reassumendas à Petro, instaurationem & reassumptionem bonarum ac salutarium cogitationum, tum piorum affectuum ac propensionum erga divina & cælestia, nec non propriæ animæ salutem, memoriam novissimorum. Per vestimentum, quod sibi Petrus jussus circumdare, patrocinia ac præsidia sanctorum Patronorum, insuperq; gratias quasvis actuales adjuvantes, cooperantes. Per primam, per quam erat transitus ac secundam custodiam, suggestiones mundi, carnis, dæmonis, respectus humanos, occasiones peccandi, hominem in peccandi retinentes consuetudine, ac reditum ad cor præcludentes. Per portam ferream, quæ Petro ultro aperta est, obstinationem in peccato, vel procrastinationem pænitentiæ. Per vicum ad quem è Civitate exeuntes Petrus & Angelus processerant, locum ab occasionibus pravaq; societate & consortio alienum ac remotum, vel etiam firmum propositum amplius non redeundi ad peccatum.

Quibus omnibus enumeratis, expende hæc eadem ipsa esse, per quæ sive acceptata sive victoriose superata planè ejusmodi serie & ductu ad cor fit reditus peccatoris. Quo si tu quoq; indiges, quo casu saltem à primæva religiositate exerrasti, hanc & non aliam seriem ac ductum tenere velis.

PUN-

PUNCTUM III.

COnſidera quidnam Petrus egerit, poſt eam ſui eliberationem é carcere?

Praxis juxta quã poſt reditum ad cor gerere ſe peccator debeat?

Nempe inprimis agnovit manifeſtè ſtatum ſuum & extremum periculum, in quo verſabatur, & ex quo emerſit adeoq; profeſſus: *Nunc ſcio* (inquit) *verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum & eripuit me &c.* 2dò Hanc è carcere ſui eliberationem, non ſuis viribus ſed Angelo, Divinæq; bonitati & opi adſcripſit. 3tiò gratum ſe pro eo beneficio exhibuit, gratias Deo cum tota Eccleſia, redux perſolvit. 4tò. Eductus è Civitate, perductus ad vicum, retrò amplius non reſpexit nec rediit, ſed recta ad domum in qua erant fideles congregati perrexit: Ibidem ſingulari omnium admiratione & lætitia exceptus.

Expende iſta & applica reditui peccatoris à peccato. Nimirum hæc eadem ipſa in illo debere elucere. Agnitionem videlicet ſtatûs præteriti, ac periculi, in quo verſabatur. Agnitionem præterea & profeſſionem, non ſuarum hac in parte naturalium virium, ſed divinæ opis & auxilij tum miſericordiæ ſingularis. Gratitudinem pro tanto beneficio debitam. Firmam & ſtabilem amplius ad peccatum non redeundi voluntatem: ac in bene cæptis conſtantiam. Et de tali planè reditu inſignis totiùs Eccleſiæ militantis ac triumphantis lætitia: juxta illud: *Gaudium eſt Angelis, in cælo ſuper uno peccatore pænitentiam agente.*

His expenſis, vide ut idem omnino tui ab anteacta vita & peccatis ad puritatem conſcientiæ ac religioſitatem ſit reditus.

Colloquium & affectus ad Deum dicentem: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*, petendo ab eodem, ut te ad ſe, tanquam oviculam errantem reducat, ac in ſinum ſuæ bonitatis ac miſericordiæ recipiat, concludendo aſpiratione: *Erravi ſicut ovis, quæ periit quære ſervum tuum Domine.*

MEDITATIO XXXIV.

De dignis Pænitentiæ fructibus.

FUndam: Visio Jeremiæ cap: 24. *Ostendit mihi Dominus, & ecce duo Calathi pleni ficis positi ante Templum Domini. Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis. Et calathus unus, ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ: Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Jeremia? & dixi, ficus bonas valde, & malas valdè, quæ comedi non possunt eo quod sint malæ.*

Prælud: 1. Imaginatio ejusdem visionis simulq; apprehensio imprimenda, eadem visione, dignos & indignos pænitentiæ fructus exhiberi.

Prælud: 2. Pete gratiam dignoscendi dignos pænitentiæ fructus à non talibus, eosq; faciendi.

PUNCTUM I.

Digni & nõ-digni fructus pænitentiæ.

COnsidera in ijs ficubus propheticis adumbrari fructus pænitentiæ, eosq; duplices. Nempe dignos DEI gustu, ac justificatione, & indignos, juxta discrimen ficuum bonarum & malarum.

Digni inprimis fructus pænitentiæ ij sunt, qui supernaturales, qui dignificati à gratia, hoc est, qui ab ijs fiunt, qui in gratia Dei existunt. Item ii qui sunt magnitudini & multitudini demeritorum, tum auxilijs divinis proportionati. Præterea intentionibus, industrijs, motivis, victorijs sui, heroicismis, excellentia eximiorum operum, actionum, passionũ mortificationum &c. sublimati. Ab amore Dei excocti.

E contra minus digni fructus pænitentiæ sunt: actus merè naturales, tanto magis à gratia sanctificante non dignificati, factiq; in statu peccati mortalis: Præterea nihil singu-

singulare, nihil eximium, nihil heroicum, nihil ad gustum Dei &c. habentes: Frigidi, langvidi, crudi, insipidi.

Expende hasce Characteristicas fructuum pænitentiæ; & hinc discerne, quibus ipse pænitentiæ fructibus abundes?

PUNCTUM II.

Obligatio status religiosi ad faciendos fructus pænitentiæ valde & eximiè dignos.

Considera de ficubus bonis apud Prophetam dici, quod fuerint non simpliciter bonæ, sed bonæ cum reduplicatione, *bonæ & bonæ valde, bonæ nimis.*

Unde hinc expende motiva, titulos, obligationem religiosorum ad proferendos fructus pænitentiæ, non qualescunq; non simpliciter dignos, sed dignos valdè, dignos nimis.

Idq; primò quod religio sit locus, ager, hortus fertilissimus, specialiter sanguine Christi irrigatus, gratijs, donis, privilegijs dotatus, nobilissima terræ portio. In hac terra homines religiosi sunt velut electæ arbores consiti, speciali circa illos cælestis hortulani providentiâ, curâ, sollicitudine excubante. Quis igitur ab illis obvios fructus expectet?

2dò. Religio Antonomasticè est ager & status pænitentiæ, proinde excellentioribus præ alijs scilicet præ mundanis pænitentiæ fructibus abundet necesse.

3tiò. Fructus pænitentiæ debent proportionari demeritis. Et quia demerita religiosorum ex parte subjecti, & ex circumstantijs status religiosi, æstimantur graviora demeritis secularium, ideò etiam digniores pænitentiæ fructus exigunt.

4tò. Quod Deo in religiosis immaturi, non adulti, obvij fructus pænitentiæ non parum displiceant, adeo ut illos indignos suo palato reputet: ac etiam in talium fructuum progenitrices arbores severius animadvertat: ut videre est eodem prophetico capite.

Expende ista, ac vide quomodo huic obligationi status religiosi satisfacias, & an saltem mediocres pænitentiæ, tuisq; demeritis non impares fructus proferas ?

PUNCTUM III.

Fructus pænitentiæ temporibus primitivæ Ecclesiæ.

COnsidera has ficus bonas valde, testimonio prophetæ fuisse in sua bonitate & sapore tales, ut solent ficus esse primi temporis Atq; hinc expende, hujusmodi debere esse fructus pænitentiæ, hoc est similes iis, quibus primis suis temporibus Ecclesia Christi abundabat.

Expende hic quales erant pænitentiæ fructus in primitiva Ecclesia. *Accipe pro exemplari S. M. Magdalenam*, S. Petrum plurimosq; alios sive post peccata pænitentes sive adhuc innocentes, interim severissimis pænitentiæ exemplis celebres, illisq; temporis moderni ac tuas etiam pænitentias confer.

Colloquium & affectus ad Christum Patientem irrigantem suo sanguineo sudore Hortum Gethsemani, tuum cor & animam, illius adsternendo pedibus, ut eodem sudore irrigata dignos fructus pænitentiæ abhinc proferat.

MEDITATIO XXXV.

DE VERBO INCARNATO.

FUndam : Visio Nabuchodonozoris Regis : Dan: 2. Ubi Nabuchodonozor *vidit statuam grandem, caput ejus ex auro, pectus, brachia de argento, venter & femora ex ære, pedum quædam pars ferrea quædam fictilis: donec abscissus est lapis de monte sine manibus & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum.*

Prælud : 1. Imaginare eandem visionem.

Prælud : 2. Pete gratiam expendendi mysteriũ ac beneficium Incarnationis ex eoq; fructus spirituales percipiendi.

PUNCTUM I.

COnsidera per hunc lapidem abscissum de monte sine manibus, intelligi Verbum Incarnatum, eo quod Christus inprimis qua Deus, genitus sit à Patre æterno sine manibus creationis. Tum etiam qua homo natus in tempore ex utero Beatissimæ Virginis sine cooperatione virili, formato á Sanctissimo Spiritu divinissimo corpore.

Verbum Incarnatum lapis sine manibus de monte abscissus.

Considera 2dò. Ideo per eundem lapidem & quidem sine manibus Verbum Incarnatum significari, quod cum esset adeo potens, ut per illud mundus creatus sit: adeo omni excellentia, gloria, honore polleret, ut ipsi Cherubin ac Seraphin scabellum se illi ponerent, per Incarnationem adeo se humiliavit, adeo debilis ac infirmus factus est, adeo suam omnem potentiam, gloriam, excellentiam, sapientiam, omniaq; attributa divina intra Carnis humanæ siparium ac virginalem uterum abscondit, adeoq, se infra abjecit ; ut non tantum formam servi assumpserit, sed etiam abjectissimo lapidi, quem reprobaverunt ædificantes, sese comparaverit.

Erubesce hinc tuas elationes, præsumptiones ostentationes, appetitus mundanæ gloriæ , fugam humiliationum, repugnantiam latendi &c. Cum tamen defacto, ideo etiam Verbum æternum incarnari voluerit,ut haberes exemplum, quod imitatione exprimeres: vide ut exprimas.

PUNCTUM II.

COnsidera 1mò. Sicut ab hoc lapide contritam statuam, ita à Verbo Incarnato devictum ac debellatum mundum quoad omnes sui partes. Contritum caput, id est superbiam , elationem: contritum pectus brachia, & manus, id est

Quomodo Verbum Incarnatũ mũdum debellaverit?

id est Iram, avaritiam, potentiam mundanam. Contritum ventrem id est Gulam. Contrita fæmora id est luxuriam. Contritos pedes, id est acediam.

Considera 2dò. Quomodo, hæc devicerit ac contriverit Christus? nempe per oppositas mundo virtutes: scilicet Paupertatem, temperantiam, ac præcipuè humilitatem ad pedes usq; hujus statuæ mundanæ sese dejiciens. Quod ipsum ut expendas, totam ejus vitam à conceptione in utero matris ad mortem usq; percurre.

Ac tandem considera tertio, non quomodocunq; devictum mundum, sed omnino contritum in pulverem, ac redactum in favillam. Hoc autem ideo, ut nobis exemplum relinqueret, qualiter à nobis & in nobis est debellandus idem mundus? Nempe eò usq; ut in nihilum omnino redigatur; ut nulla parte sui in nobis vivat, ut nihil illius intra nos nostrosq; mores residuum sit, ac ne umbra quidem. Vide an defacto sic cum mundo processeris?

PUNCTUM III.

Quomodo Verbum Incarnatū sui humiliatione creverit?

COnsidera lapidem percussorem statuæ crevisse in montem magnum, & replevisse terram. Idq; non aliter, quam quod ad pedes provolutus statuam debellaverit.

Atq; hic expende Christum quoq; non dissimili modo crevisse, & quidem adeo sublimiter, *ut datum sit illi nomen super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu &c*

Quomodo autem creverit, expende. Nimirum non per superbiam, ambitionem, potentiam, divitias, ostentationem sui, non per nescio quas artes, non per honorem æstimationemq; sui apud mundum, sed per contemptum horum omnium, per victoriam mundi, per humiliationem sui, usq; *ad mortem, mortem autem crucis*, per ærumnas, ludibria, opprobria. Quibus expensis: tibi quoq; non alium modum crescendi præscribe.

Collo-

Colloquium ad idem Verbum Incarnatum, petendo ab eodem ut sicut tibi ad omnia optima exemplo præluxit, ita & gratia sua speciali ad exactam sui imitationem te juvet.

MEDITATIO XXXVI.

DE CHRISTO NATO.

FUndamentum Visio Pastorum Luc: 2. *Pastores* (inquit) *erant in regione eadem: vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Dominì stetìt juxta illos, & claritas DEI circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: nolite timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem, pannis involutum & positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Prælud: 1 Imaginare eandem visionem.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi mysterium Nativitatis, fructusq; ex eo spirituales percipiendi.

PUNCTUM I.

Apparitio Angeli Pastoribus.

COnsidera 1mò. Pastoribus inprimis ante omnes alios revelatam esse Nativitatem Christi. Hunc enim Angelum non ad alios prius, non ad Principes, magnates, nobiles, quam ad pastores descendisse, illisq; Christi Nativitatem denuntiasse. Nempe illum tam citò profecisse exemplo ipsius Christi, non in Principum aulis, non ab opulentis parentibus, sed stabulo à pauperrima Matre progeniti. Vide quid in te hac in parte Christi exemplum valeat? Disce & à Christo & ab Angelo non magis divitibus, nobilibus,

quàm pauperioribus & vilioribus evangelizare, eorumq; te obsequiis ac necessitatibus spiritualibus impendere.

Considera 2dò. Quandonam hi pastores visionem hanc Angelicam meruere? Nempe non cum otiarentur, commessationibus, somnolentiis se impenderent &c. sed cum vigilarent: atq; hinc conclude, quibus se cælum libentiùs ac liberaliùs communicet?

Considera 3tiò. Quod vix Angelus adstitit Pastoribus, illico eosdem circumfudisse claritate. Nimirum Angelicum esse, ubiq; ac in omni loco, secum Dei claritatem circumferre, neminem inumbrare, angelica omnes collustrare præsentia, sanctimonia & exemplo. Præterea non in cælo tantùm, non modò in sublimi, sed in summa etiam sui ad infimos demissione nihil lucis deperdere; sed integram in terra etiam, in quorumcunq; hominum consortio ac cætu conservare. Vidè ut in his omnibus Angelicam conditionem exprimas.

Considera 4tò. Angelum primo terruisse Pastores ita, ut timuerint timore magno, ac postea illico, eodem timore ac perturbatione abstersa, majoribus longè compensasse solatijs. Nimirum moris divini esse, ut quem specialibus ac selectioribus affecturus est beneficiis & consolationibus, prius illum quomodocunq; affligat, & tantillum conturbet, modicas easdem conturbationes velut magnarum gratiarum prodromas immittendo. Vide quomodo adversitates à Deo immissas æstimes & qualiter repûtes?

Considera 5tò hunc eundem Angelum apparuisse pastoribus, annuntiasse de Christi Nativitate in stabulo Bethleemitico, non tamen eos illuc deduxisse (ut deduxerat stella Reges) suffecerat his rudibus scire Christum natum esse: & illico sine mora, sine duce properarunt, quæsierunt, invenerunt infantem. Vide an similis in te ad divinos nutus promptitudo?

Considera tandem quod hic Angelus non in áére, non supra pastores, non in nube aliqua suspensus apparuerit sed

juxta illos velut æqualis quispiam steterit? idq; ideo quòd jam tunc per Incarnationem Verbi dignificata fuerit natura humana, ita ut nec Angelus superiorem se, vellet ostendere sed imò se velut æqualem exhibuit.

PUNCTUM II.

Considera Angelica Verba ad pastoros.

Angeli oratio ad pastores, tum contemplatio Christi Infantis repositi in præsepio.

Ac inprimis *evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo* Ubi expende Incarnati Numinis bonitatem, quod sibi ærumnas, fletus, gemitus infantiles, lacrymasq; indixerit, ut nos exhilararet, ut nostras tristitias gaudijs suæ Nativitatis solaretur.

Unde ulteriùs expende non sibi (ut Angelus loquitur) non suis commodis natum, sed nobis, nostro bono, nostro commodo, & utilitati, nostræ saluti. Disce hinc tui tuorumq; commodorum oblivisci, & totum te bono communi, commodo & saluti animarum, Gloriæ divinæ impendere.

Expende quoq; illa verba. *Natus est vobis hodie Salvator* simulq; adverte quomodo hic Christus dicitur: *natus hodie*: ac si de die natus fuisset, cum defacto de nocte Christi fuerit Nativitas? Nempe noctem illam per ortum solis æterni, totq; lumina in totum mundum effusa fuisse sublatam. Proinde, vide an in te quoq; in tua anima, conscientia, intellectu, corde, aliquæ tenebræ resideant? easq; quàm primum eliminare stude. Quis enim nascente sole æterno umbrarum locus?

Expende præterea quod sequitur. *Hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio.* Apprehende hoc ipsum: *Invenietis.* Nempe eo processisse Verbi Incarnati erga nos Charitatem, ut se quodammodo perdiderit, perierit sibi, ut nos inveniret, ut nostræ perditioni consuleret. Disce hinc perdere te ipsum propter gloriam Dei & salutem animarum.

Jamq; te contemplationi Christi Infantis pannis involuti, positi in præsepio, impende, idque per applicationem sensuum. Expendendo simul causas, cur ita nasci ac tractari voluerit? Nempe inter alia, ut præiret nobis exemplo, ut sicut ille propter nos pauper & humilis fieri dignatus est: ita nobis propter illum humiliari, despici, egere, minimè grave ac onerosum sit. Unde contemplare hic illius paupertatem, humiliationem, despicientiam, ærumnas, ad ipsiusq; exemplum & normam tuam religiositatem quantùm potes conforma & compone.

PUNCTUM III.

Multitudo militiæ cælestis laudē & gloriam Deo decantans.

COnsidera primò Subito factam cum Angelo multitudinem militiæ cælestis laudantium Deum. Ubi expende, quantùm applaudat cælum Christi paupertati & humiliationi, quantum & nostræ. Tum etiam quanta gloria & honore eandem Christi humiliationem idem cælum rependat, quantâ & nostrā. Expende præterea minimè erubuisse, tantam vilitatem & humiliationem Verbi Incarnati Angelicos spiritus, non erubuisse viles pannos, quibus erat involutus, non erubuisse præsepe ac stabulum. Unde pariter disce paupertatem & humilitatem religiosam minimè erubescere.

Considera 2dò. Hos angelos appellari militiam; Nimirum Christum natum illico indixisse bellum mundo, carni, diabolo, ideoq; velut ad ducem, Spiritus cælestes convolasse. Quo expenso, vide, ne tu quoq; tam strenuum ducem licèt infantem nactus, hoc in bello, mundo, carni &c. indicto, ex parte tua ignavus sis.

Considera 3tiò. Decantantes Angelicos Spiritus gloriam in altissimis Deo, cum Verbum Incarnatum adeo humili loco depositum recumberet. Proinde hinc etiam disce, Deum glorificari, exaltariq, nostris humiliationibus, despicientiis, ærumnis. Quapropter resolve te ad omnes

humili-

humiliationes, postpositiones, abjectissima quæq; munia in religione, modò per id Deus glorificetur & exaltetur, modo illius gloriæ augmentum inde accedat.

Considera 4tò. pacem hominibus bonæ voluntatis promulgatam. Nempe voluntatem malam omnium inquietudinum & perturbationum causam esse, voluntatem scilicet non resignatam in voluntatem Dei, voluntatem non indifferentem ad quæcunq;, voluntatem discordem cum Dei superiorumq; voluntate, voluntatem pertinacem obstinatamq; id efficiendi, prosequendi omnino, in quod propendet: voluntatem non bene convenientem cum superioribus, æqualibus, inferioribus, voluntatem superbam, ambitiosam, invidam, immortificatam, pravis inclinationibus appetitibus inordinatis subjectam. Cura, ut hanc voluntatem malam mortifices: cura, ut sis homo bonæ voluntatis, quoad Deum, quoad proximum, quoad te ipsum, maximè autem voluntatis conformis cum voluntate Dei ac superiorum, & habebis pacem in terra.

Colloquium & affectus, quem teneritudo devotionis, erga Christum infantem dictabit, præsertim petendo ab eodem divinissimo infante, ut in tuo corde renascens, se in illo collocet, suiq; amore ardentissimo ac imitatione illud accendat.

MEDITATIO XXXVII.

DE NOMINE JESU.

FUndam: Visio Abrahæ Genes: 17. Ubi Deus illi apparuit dicens: *Ambula coram me, & esto perfectus: Ego sum & pactum meum tecum, erisq; Pater multarum gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te. Faciamq; te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesq; ex te egredientur. Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Præ-

Prælud: 1. Eadem visio in imaginatione constituenda nominiq; Jesu applicanda.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi excellentiam Nominis JEsu, illudq; cordi tuo imprimendi.

PUNCTUM I.

Excellentia & privilegia Nominis JEsu.

COnsidera impositum novum nomen Abrahæ fuisse figuram Nominis JESU.

Atq: inprimis ex una parte expende excellentiam hujus nominis. Si enim nomen Abrahæ interpretatum est Pater multitudinis: quantò magis excellentiorem Nomen Jesu inrerpretationem & significationem continet. Quid enim aliud Jesus, quàm Salvator mundi, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, admirablis, fortis &c. proinde juxta Apostolum: *Donavit illi Deus nomen, quod est supra omne nomen &c.*

Ex altera parte expende summam dignationem, qua dignatus est Christus tuam religionem, quam sui Nominis fecit participem. Imò te ipsum, quem ad Societatem suam vocavit. Magna fuit dignatio Abrahæ, quod illi ad vetus ejus nomen, duas literas ex suo Nomine Deus addidit, juxta sacros interpretes. Quanto major erga te, totamq; Societatem, quam Christus sui Nominis ex asse hæredem fecit. Vide ad quam illi propterea gratitudinem exhibendam obstrictus sis?

Expende præterea in eo excellentiam Nominis Jesu, ac dignationem Societatis, quod sicut nomini Abrahæ alligavit Deus multitúdinem gentivum, regum, populorum quæ de semine illius prodire debuit & prodijt. Ita etiã Nomini Jesu alligavit salutem totius mundi, consequenter Societati, cum eodem nomine alligavit velut pretiosam dotem conversionem tot gentium, tot regum regnorumq; tot hæreticorum, nec non peccatorum per S. Franciscum Xaverium & alios factã Æstima eam digationem & quomodo eandem iñ te adimpleas? vide & recogita, Qui inquam à te ad fidem, ad meliorem frugem conversi verbo, exemplo?

Expende insuper quidnam ulterius Societati Christus cum hoc nomine contulerit? Nempe idem planè quod Abrahæ, scilicet quod illam fecerit crescere vehementissimè, idq; eà amplitudine & numero, quo orbem utrumq; implevit. Tum etiam virtute laboribus, meritis, doctrina, scientia, æstimatione, fama. Vide an non huic Societatis incremento famæ & gloriæ, tuâ vitâ parum religiosa & moribus officis?

Expende tandem id ipsum, quod Deus ad Abraham: *Reges ex te egredientur.* Ubi adverte similem Societati dignationem concessam. Nimirum ut tot reges numeret, quot suarum passionum, suiq; ipsius Dominos, atq; egregios victores. Vide an quoq; in eorum numero censearis?

PUNCTUM II.

Nomen Jesu in circumcisione impositum.

Considera quod sicut Nomini Abrahæ Deus adjunxit circumcisionem. Ita etiam pariter nomini Christi: unde expresse Evangelista: *Cum completi sunt dies octo ut circumcideretur, puer, vocatum est nomen ejus JESUS.* Nimirum non poterat hoc nomen esse sine dolore, sine patienta, sine fuso sanguine.

Atq; hinc expende eam quoq; dignationem Societati collatam, scilicet quod illam Christus, cum suo nomine participem reddiderit suarum passionum, dolorum, ærumnarum, persecutionum, opprobriorum, linguarum. Proinde huic dignationi ac Nomini debere Societatem tot martyres, tot viros mortificatos, tot viros, heroicos, tot cruentas & incruentas victimas Charitatis Dei & proximi. Vide quæ apud te horum omnium cum nomine Jesu, quod geris, participatio? Vide si non fudisti aut fundere non potes sanguinem, saltem sudorem in laboribus & obsequiis pro salute animarum susceptis in copia fundere velis.

Atq; ulterius considera per circumcisionem intelligi mortificationem passionum, appetituum, affectuum, quam

omnino

omnino hoc nomen, ab omni eo, qui ejus bajulus esse voluerit, omnino requirit. Unde qui hac circumcisione caruerit, in vanum nomine JEsu gloriatur. Proinde vide, quænam apud te mortificatio passionum?

PUNCTUM III.

Ex Nomine Jesu quanta obligatio in Societatem.

COnsidera primo quod Deus nomen Abrahæ ex suo Nomine ampliaturus, hoc illi injunxerit, ut ambularet coram se & esset perfectus. Unde expende ad simile quid tum Societatem tum teipsum, qui nomen JEsu assumpsisti, vi hujus nominis obligari; Nempe non ad cujuscunq; virtutis sed ad omnimodæ perfectionis studium. Vide quomodo huic obligationi hactenus satisfeceris?

Considera 2dò. Quod Christus Judæis nomen & genus Abrahæ jactantibus inculcabat: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Atq; hinc expende idem tibi omnino inculcari: ut si nomen Jesu jactas, huic nomini operibus correspondeas: hoc est opera Jesu facias, eum, cujus nomen geris, vita & moribus exprimendo. Vide an hoc feceris hactenus, & quomodo deinceps facies?

Colloquium & affectus gratiarum actionis pro tantis dignationibus cum nomine Jesu, tibi & Societati collatis: Petitionis veniæ, quòd illis satis non responderis: Implorationis gratiæ, ut hoc nomen cordi tuo impressum, vita & moribus, exprimas. Concludendo aspiratione: *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam!* O *JESU esto mihi JESUS!*

MEDITATIO XXXVIII.

De vita Christi abscondita in Nazareth.

FUndam: Visio per Somnium Josephi Patriarchæ in domo paterna vitam privatam agentis Gen: 37. ubi narrans fratribus ait: *Vidi per somnium quasi solem & lunam & stellas undecem adorare me.*

Prælud : 1. Consvetum.

Prælud : 2. Pete gratiam expendendi vitam Christi in Nazareth, ex eaque fructus spirituales percipiendi, tuamq; vitam illi conformandi.

PUNCTUM I.

Acta cum Christo in Nazareth, ex parte MARIÆ & Joseph.

COnsidera sicut ipsum Josephum Patriarcham fuisse figuram Christi, ita etiam Josephi vitam in domo Patris & Matris suæ privatim actam, fuisse figuram Christi vitæ, in domo Nazareth absconditæ.

Atq; ita ulteriùs considera eandem ipsam visionem sicut in Josepho expletam, ita etiam Christum figurasse & expressisse, Sole, Josephum ejusdem Christi nutritium & Patrem adoptivum, lunâ Sanctissimam Matrem, stellis familiam & cognatos designantibus.

Ubi expende inprimis: quæ ibidem hoc est in Nazareth ex parte Josephi & Mariæ cum Christo acta? Quanta ibi amoris erga illum testificatio, illius apud Josephum & Mariam reverentia & cultus: ut licet illum pro filio agnoverint, defacto tamen debitam Incarnato Numini exhibuerint venerationem, ita ut planè longè veriùs de se dicere potuisset: Vidi solem & lunam adorare me. Jam quanta illius totius domûs & familiæ, ex præsentia Christi circumspectio, probitas, ab omni defectu immunitas, sanctimonia. His expensis reflecte te, quanta apud te quoq; in præsentia & oculis Dei, in præsentia Christi in Eucharistia existentis, in oculis Angelorum circumspectio & cautela, compositio morum & actionum, quanta munditties corporis & animæ &c?

PUNCTUM II.

Acta cũ Christo in Nazareth ex parte ipsius Christi.

COnsidera quæ ibidem in Nazareth cum Christo ex parte ipsius Christi acta.

Atq; ita contemplare ex una parte Josephum Patriarcham

archam in domo Patris, ejusq; vitam ibidẽ peractã Quomodo ille per præ fatã visionem, ad Regnũ supremamq; fortunã designatus, interim quasi immemor somnii sui tãtæque sortis, in omni moderatione vivere, nihil sibi supra fratres reliquos attribuere, se se illorum minimũ æstimare, nihil sibi arrogare præ alijs, debitum noverit Patri, Matri, fratribus cultũ ac reverentiam exhibere, ad omnia se se demittere obsequia &c.

Ex altera parte contemplare ipsum Christum in domo Nazareth vitam agentem. Quomodo ille quoq; immemor sui, plane *in similitudinem hominum factus*, se in omnibus Josepho & Sanctissimæ Matri filium præstiterit, omnem illis amorem, cultum, reverentiam, subjectionem ad omnia exhibuerit obsequia, ita ut Evangelista testatus sit: *erat subditus illis*: utq; ipsos etiam illorum nutus observaret.

Jam quæ ibidem illius occupatio, quis labor, quæ in humilioribus ad quæ se demittebat obsequiis sui exercitatio? Quis illo promptior ad desideria Josephi & Matris Sanctissimæ, quis promptior ad purgandam domum, instruendam mensam, lavandas scutellas, componendam & mundandam supellectilem &c. His expensis erubesce illam tuam abhorrentiam ab humilitatis exercitiis: illum appetitum plausibilium functionum, illam æstimationem tui &c.

PUNCTUM III.

Vita Christi abscondita specimina.

CONsidera ulterius vitam Christi absconditam in Nazareth.

Atq; expende primo. Quomodo intra domesticos lares ita latere voluerit, ut ad nullas conversationes, prædicationes, Evangelisationes, etsi millenas animas lucrari potuisset, prodierit, ut solis nonnisi domesticis notus fuerit, cæteris omnibus ignotus.

Secundò. Quomodo se suamq; divinitatem nullis signis, nullis operibus extraordinarijs, nullis miraculis, quæ

in manu habuerat, voluerit manifestare, ita ut per hoc tempus quo vixit per 30. annos in Nazareth, omnia Christi fuerint abscondita, abscondita divinitas, abscondita filiatio Dei, ita ut tantum filius fabri diceretur. Abscondita sapientia, abscondita sanctitas, abscondita talenta, abscondita dona supernaturalia; ut nihil supra alios homines habere videretur: abscondita ea ipsa, quæ per id temporis præclara gessit. Et hoc unum nonnisi in Evangelio expressum quod *erat subditus illis*: reliqua omnia, tot illæ actiones eximiæ, humiliationes, actus heroici silentio involuti.

Unde adverte: quantùm hanc sui subjectionem & obedientiam æstimaverit, ut omnibus aliis profundo silentio sepultis, hoc unum scribi in Evangelio, hoc publicari ac sciri voluerit.

His expensis erubesce illam in te repugnantiam ad latendum, ad obediendum, subjiciendumq; te superioribus tuis in omnibus, illos pruritus ad ostentationem tui, talentorum scientiæ, illam appetentiam publicitatis, illos mærores, anxietates ex depretiatione tui &c.

Colloquium & affectus ad Christum in Nazareth absconditum: adorando illum & glorificando in compensationem omnium subtractarum adorationum, æstimationumque dum ibi viveret mundo ignotus: Offerendo præterea Deo Patri vitam tuam in Sacrificium in unione vitæ Christi, in abscondito peractæ. Ac tandem petendo gratiam ad complacendum tibi in vita abscondita similiter in Religione traducenda: Nempe ut libenter mundo & hominibus ignotus & absconditus vivas. Conclude aspiratione: *Elegi abjectus esse in domo domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*



MEDI-

MEDITATIO XXXIX.

DE REGNO CHRISTI.

FUndamentum: Visio Joannis Apoc: 14. *Et vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exivit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem: mitte falcem tuam & mete, quia venit hora ut metatur.*

Præludi: 1. Imaginare eandem visionem.

Prælud: 2. Ex exercitiis S. Patris: nempe ut spectare nos imaginemur synagogas, villas, & oppida, quæ prædicans Christus pertransibat.

Prælud: 3. Pete gratiam Christum Regem sequendi ac imitandi eundem.

PUNCTUM I.

Qualenam regnũ Christi in mundo & in quonã consistat?

COnsidera in hac visione Regnum Christi in terra expressum.

Atq; expende: 1mò. in capite suo habere illum coronam in signum Regiæ suæ potestatis, qua pollet supra orbem totum. Et quod ille sit verus ac legitimus Rex, unusq; talis, cui se totus mundus sponte ac libenter deberet subdere; ita ut sit omnino insanus, qui tali regi nollet sese submittere & famulari.

Expende secundo cur nubi candidæ insideat? Nempe id esse indicium summæ illius mansvetudinis, mitissimi regiminis: ubi nihil tetricum, nihil terribile, nihil fucatum ac politicum, candida omnia.

Expende 3tiò. Cur pro sceptro manu falcem præferat? Nimirum illius regnum esse in hoc mundo non aliud, quam metere, adultam messem de terra colligere. Regiæ illius dignita-

dignitatis exercitium, non subjugare gentes, ferro & igne omnia demoliri, sed homines populosq; aptos regno Dei, ad semet convertere, illorum salutem quærere, & velut maturas ad messem fruges ad horreum suum colligere, cæloq; inferre.

Expende 4tò. verba Angeli: *Quia venit hora ut metatur.* Ubi considera quamdiu, quàm ardenti desiderio per 30. annos in domo Nazareth hanc horam expectavit Christus, horam inquam, qua prodeundum illi erat é privata vita ad prædicationem Evangelii, ad labores illos, incommoda & ærumnas amore salutis hominum subeundas. Quàm avide & libenter, hoc munus metendi laboriosum suscepit, quàm illud suaviter & efficaciter obivit, & perfecit: quo labore qua patientia, qua charitate, qua mansvetudine, qua moderatione ac demissione erga omnes, qua circumspectione in omnibus, quibus vitæ ac morum exemplis, ut potens verbo ac opere diceretur.

Accipe hunc typum & exemplar agendi cum hominibus, eosq; Deo lucrandi.

PUNCTUM II.

Insignia Regis nostri servorumq; ejus.

Considera specialia hujus Regis insignia, quibus se toti mundo ac cælo exhibet conspicuum. Nimirum veram paupertatem, humilitatem, abnegationem sui, & omnium commodorum. Tolerantiam injuriarum & omnium adversitatum, amorem humanæ salutis, amorem inimicorum &c.

Considera 2dò. Eam esse hujus regis voluntatem ac ordinationem, ut ijs ipsis insignibus, quibus ille utitur, suos etiam asseclas velit indui. Unde ab initio sui servitii eos ad eadem sui insignia invitare, illa primus suscipere, primus suo ad omnia prælucere exemplo ad paupertatem, humilitatem &c. ita ut nihil à suis asseclis desideret, nihil illis injungat, quod non prius ipse subierit.

 His

His expensis reflecte te: quis in te horum insignium usus? Atq; regulam communem summarij de usu eorundem in memoriam tibi revoca: quæ incipit: *diligenter animadvertant oportet &c.*

PUNCTUM III.

Cōditio, præmium, ac stipendium adhærentiū Regi Christo.

COnsidera alios reges, qui oppositi Regno Christi suum regnum in terra fundare aggrediuntur. Nimirum mundus, caro, diabolus: superbia, avaritia, ira, luxuria, &c. quorum quilibet regnum supra nos affectat, in ipso corde nostro solium figere attentat. Quilibet illorum, illud habet in ore: Rex sum, regnare volo: Hoc dicit mundus, dicit caro, dicit dæmon &c. Quilibet quoq; suo diademate insignis. Quanquam ii non tam Reges sunt, quam tyranni, qui cùm amænissimè blandiuntur, tunc maximè fallunt, nostramq; perniciem in animo intendunt. Falx quidem etiam in eorum manibus, sed involuta divitiis, floribus, voluptatibus, eoq; magis suspecta & periculosior. Neq; vero illis nubes candida pro throno, sed aliquid coloratum mille fucis & dolis illitum, nihil candidum.

Unde expende cuinam honestiùs, delectabiliùs, utiliùs adhærere, Christone an mundo, carni &c. Illine qui tuā salutem sincere, sine fuco quærit, ac toto corde diligit, an illi qui tuam perniciem sempiternam? Illine cui servire regnare est, an illi, cui dum servis, æternum sis mancipium necesse est. Illine apud quem pro stipendio peccati, mors, infernus: an illi, apud quem pro præmio thesauri gratiarum, cælum, vita æterna? Quibus expensis utrumlibet elige.

Colloquium. Imaginare tibi Christum à te exquirentem. quod olim à D. Thoma Aquinate. Pro tuo servitio, proq; tuis laboribus, quam à me mercedem requiris? Tum responde cum eodem affectuosissimè: Nolo Domine quidquam nisi te ipsum: hoc est intimam cognitionem & amorem

rem

rem tui. Nolo consolationes, nolo commoditates, nolo terrenum quidquam. Te solum mihi da & sufficit. Detestor servitium mundi, carnis &c. *O Domine ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.*

MEDITATIO XL.

De duobus vexillis.

FUndamentum: Visio Joannis Apoc: 19. *Ubi vidit cælum apertum: & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax. Oculi ejus sicut flamma ignis: & in capite ejus diademata multa. Vestitus erat veste aspersa sangvine, & exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo, & de ore ejus procedit gladius ex utraq; parte acutus. Et habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum & Dominus Dominantium. Et vidi bestiam, & reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo & cum exercitu ejus.*

Prælud: 1. Imaginatio ejusdem visionis.

Prælud: 2. Ex exercitiis S. Patris fit historica quædam consideratio Christi ex una parte, & ex altera Luciferi. Quorum uterq; homines ad se convocat sub vexillo suo congregandos. Ad constructionem autem loci repræsenta tibi campum amplissimum circa Jerosolymam in quo Christus tanquam bonorum omnium summus Imperator consistat. Rursus alterum campum in Babilonia ubi se Lucifer malorum & adversariorum Christi, Dux exhibeat.

Prælud: 3. Pete gratiam habendi exploratas mali Ducis fraudes, easq; evitandi. Tum etiam gratiam agnoscendi bonitatem Imperatoris Christi, eamque sequendi ac imitandi.

PUNCTUM I.

Descriptio sceleratì Ducis Luciferi ejusq; adjunctorum.

COnſidera imò ac intuere LuciferumDucem malorum in ſpecie beſtiæ coccineæ plenæ nominibus blaſphæmiæ, cum capitibus ſeptem, cornibus decem à S. Joanne cap: 17. Apoc: deſcriptæ, ſingulaſq; ejus deſcriptiones & adjuncta expende.

Atq; inprimis cur imaginem beſtiæ aſſumpſerit? Nē-pe quod Lucifer in beſtiam per peccatum transformatus, adeoq; pariter homines etiam in ſimiles beſtias transformet, perſvadendo illis, ut obediant, non Deo, non lumini rationis, ſanoq; intellectui, non parti rationali, ſed totaliter ſeſe parti animali addicant & ſubdant, appetitus ſenſuales beſtialeſq; ſequantur in omnibus. Tum quod etiam pluſquam belluina ira & odio humani generis, laboret.

Secundo cur induatur concino? Nimirum id eſſe ſignum arrogatæ ſibiRegiæ poteſtatis. Purpura enim & coccinū ſunt præcipua indumenta Regum. Præterea eandem veſtem coccineā eſſe ſignum in hac beſtia hypocriſis, ſuperbiæ, ambitionis &c.

Tertiò expende plenum eſſe nominibus blaſphæmiæ, hoc eſt diris, convitijs, improperijs, contumeliis in Deum, in Chriſtum Ducem, in ejus aſſeclas, in virtutem, cælumq; totum.

Quartò. Cur habeat capita ſeptem? Nempe per hæc intelligi ſeptem capitalia peccata, tum etiam tot capitum partus, ſcilicet immenſas ejus artes, fraudes, dolos, quibus in ſubjugandis ſibi hominibus uti conſvevit.

Quintò. Cur præterea præferat cornua decem? Nimirum per hæc ſignificari ejus potentiam, varioſq; modos, conatus, ac inſultus, quibus Chriſti aſſeclas inſectatur & invadit: aut etiā decem dogmata ſceleratiſſima oppoſita decem Dei præceptis.

Quibus expenſis deteſtare ipſam tam deformem hujus ducis improbiſſimi ſpeciem.

Atq; intuere 2dò: Per imaginationem, locum, in quo suum Labarum defixerit, cum suisq; consederit sequacibus? Nempe campum Babiloniæ id est campum confusionis & disordinis. Cathedram igneam & fumosam, id est ignibus concupiscentiæ iræ, vindictæ ardentem, fumis vanitatum plenam?

Intuere 3tiò. Illius asseclas: ingentia scilicet ac numerosissima agmina ex variis statibus & conditionibus hominum congregata, ex Regibus, Principibus, populis, gentibus. Detestare illorum insaniam.

Intuere 4tò. Et audi per imaginationum, quæ præcepta & imperia suis asseclis inculcet, ad quid illos adhortetur? Nempe ad amorem mundi, vanitatis, ad ambitionem honorum, gloriæ, fortunæ, ad sectandas voluptates, ad delicias carnis, ad omne genus peccati, iræ, vindictæ injuriæ, avaritiæ gulæ &c. Execrare tam scelestas persvasiones & imperia.

PUNCTUM II.

Descriptio Ducis Christi & adjunctorum ejus.

COnsidera primò ac intuere Ducem optimum Christum ab eodem S. Joanne descriptum.

Atq; inprimis expende. *Cur equo albo insideat?* Nempe id esse signum felicitatis, lætitiæ, triumphi, puritatis, & immunitatis à peccato, candoris, sinceritatis.

Secundò expende vocari eum *fidelem & veracem*, hoc est ab omni dolo, fraude, mendacio alienum, stantem promissis, fidelemq; in illis exsolvendis. Non ita sicut Lucifer, qui cùm multa suis asseclis promittat, eosdem fallat.

Tertiò quod *oculi ejus sicut flamma ignis*, id est irâ & vindicta contra Luciferum tot animarum seductorem incensi.

Quarto quod *in capite ejus diademata multa*. Nempe hæc in præmium suorum asseclarum fidelium parata.

Quinto Quod *vestitus erat veste aspersa sangvine?* Nempe hoc illius esse speciale ornamentum, præcipuum insigne, ferre pro nobis vulnera, suoq; sangvine pro nobis fuso, velut purpura indui.

Sexto. Quod *de ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat.* Nempe hunc gladium esse sive Christi potestatem & Imperium in totum orbem, sive prædicationem Evangelii.

Septimo quod *in femore & vestimento scriptum erat: Rex Regum & Dominus dominantium.* Nempe ex eo quod Christus omnes titulos, honores, tanti æstimet, ut illos non fronti, non pectori, sed infra inscribat. Unde etiam ad illos non magni æstimandos exemplo sit.

Quibus expensis jam intuere 2dò per imaginationem locum, in quo Christus cum suis sequacibus consistat? Nempe non locum aliquem excelsum, non elatum montem, sed amœnam planitiem, juxta Jerosolymam; hoc est pacis visionem. Idq; ut ostendat ab omni se inquietudine abhorrere, ab omni elatione ac superbia, ita ut etiam illius Symbolum & umbram fugiat: visionem pacis, Babilonicæ confusioni, valles aut planities montibus præferat: suosq; asseclas eidem humilitati & paci addictos esse specialiter velit.

Intuere 3tiò tanti Imperatoris asseclas juxta S. Joannem *equis albis insidentes byssino albo & mundo vestitos*, idq; in signum puritatis, simplicitatis, immunitatisq; ab omni labe & fuco. Eosq; tamen admodum paucos sub ejus vexillo congregatos. Condole infelicitati tanti Ducis, defle amentiam & cæcitatem mundi.

Intuere 4tò & audi quæ etiam ille suis præcepta & imperia instillet? Nimirum omnia ad amorem Dei, proximi, inimicorum, virtutis, paupertatis, abnegationis, crucis, æternæ salutis propriæ & alienæ, ad contemptũ mundi, terrenorum, voluptatis, fugam peccati &c. spectare. Complace tibi tam in eo Duce, quàm in ejus imperiis & monitis.

PUN-

80

PUNCTUM III.

Consldera & audi quæ uterq; Ducum præmia ac stipendia suis decernat & promittat?

Stipendia ab utroq; Duce suis commilitonibus promulgata.

Quæ inprimis Dux sceleratissimus? Nempe honores, divitias, fortunas, & successus omnes, delicias, voluptates, famam, gloriam, vitam ac jocolumitatem diuturnam &c.

Jam Christus è contra in hac vita ærumnas, dolores, cruces &c. Post mortem tamen beatitudinem æternam, visionem beatificam &c.

Confer hic utriusq; Ducis stipendia: & decerne potius sub vexillo Christi Ducis militare.

Colloquium & affectus ad Christum Ducem: Supplicando eidem, ut te suæ militiæ velit adscribere. Spondendoq; illi omnem ex tua parte subjectionem ac promptitudinem. Insuperq; resolvendo te ad omnia adversa & ardua, ad omnia incommoda, ærumnas, cruces, vulnera, mortem. Tum supplicando & Beatissimæ Parenti, ut te tanti Ducis gratiæ & favori insinuet nec non contra insultus Luciferi suo patrocinio protegat.

MEDITATIO XLI.

De præceptis Christi Evangelicis.

Fundam: Visio S. Joannis Apoc: 14. *Et vidi (inquit) Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram & super omnem gentem & tribum & linguam & populum.*

Prælud: 1. Imaginatio visionis necnon Apprehensio hoc Evangelium, æternum esse præcepta evangelica, dequibus præsens meditatio.

Prælud: 2. Pete gratiam percipiendi eadem præcepta Christi evangelica, eaq; adimplendi.

PUNCTUM I.

Excellentia præceptorum Evangelicorũ quàm fuerint veteris testamenti.

COnsidera per hunc Angelum Apocalypticum adferentẽ mundo Evangelium æternum intelligi Christum Evangelizantem eidem mundo nova præcepta. Proinde eundem Malach : 3. appellari *Angelum testamenti.*

Atq; hinc expende differentiam ac discrimen præceptorum Evangelicorum à præceptis testamenti veteris.

Idq; primò quod illa per Moysen simplicem hominem populo Izraelitico tradita, hæc per ipsum Christum filium Dei unigenitum.

2dò. Quod illa magis onerosa fuerint, hæc suaviora, efficaciora tamen longè, ad perfectionem Christianam & salutem æternam.

Tertiò quod hæc longè, excellentiora perfectiora, illa non item: sicut enim novum testamentum excellentius veteri, ita etiam hujus longè excellentior lex quàm illius.

Quarto quod ex illis multa ad certum tempus erant duratura, *vg.* de circumcisione, de sacrificiis, hæc autem in sempiternum. Unde per expressum dicitur ille Angelus tulisse evangelium æternum.

Quibus expensis gratias age Christo Domino pro tam efficacibus ad perfectionem Christianam & salutem æternam obtinendam mediis. Quanquam reflecte te inprimis, quomodo saltem hactenus præcepta decalogi impleveris, præsertim de amore Dei & proximi?

PUNCTUM II.

Præcepta Evangelica per ordinem ad Deum proximum & te ipsum.

COnsidera quænam sint hæc præcepta Evangelica à Christo allata? Nempe alia per ordinem ad Deum, alia per ordinem ad proximum, alia per ordinem ad te ipsum.

Qualia sunt.

Quarite primò regnum Dei & justitiam ejus. Non potestis Deo servire & mammonæ. Cum oraveris, intra cubiculum tuum & clauso ostio ora ad Patrem &c. *Quoad Deum*

Relinque munus tuuum ad altare, & vade reconciliari fratri tuo. Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Nolite judicare & non judicabimini. Si peccaverit frater tuus vade & corripe eum. *Quoad proximum.*

Si oculus tuus scandalizat te &c. Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum. Ne solliciti sitis animâ vestrâ, quid manducetis, neq; corpori vestro quid induamini &c. *Quoad se ipsum.*

Quorum singulis expensis reflecte te, quæ illorum apud te observatio.

PUNCTUM III.

COnsidera hæc præcepta sæcularibus & Religiosis æquè communia, ita tamen ut longè exactius religiosi teneantur ea adimplere quàm sæculares: Nempe ex eo, quod religiosis major sit opportunitas, plura efficaciora media & auxilia, plures gratiæ à Deo, ad hæc adimplenda. Nec etiam tot impedimenta & occasiones ab illis habeantur, quot ab istis. *Obligatio ad illa adimplēda major in religiosis.*

Hic erubesce, quod te hac in parte a tot sæcularibus superari permiseris: licet habita ut dixi, majori longè opportunitate & efficacioribus adjumentis, quàm seculares habere possint.

Colloquium & affectus ad Christum offerendo te & subjicendo illi tanquam supremo Domino ac Legislatori tuo. Tum petendo ab eodem, ut sicut tibi tam efficacia ad salutem, Evangelica præcepta contulit, ita etiam gratiam tribuat ad ea implenda.

MEDITATIO XLII.

De Consiliis Christi Evangelicis

FUndam: Visio S. Joannis Apoc: 5. *Vidi* (inquit) *in dextera sedentis librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et nemo poterat, neq; in cælo, neq; in terra, neq; subtus terram aperire librum. Et vidi agnum stantem & venit & accepit de dextera sedentis librum, & cum aperuisset librum, Quatuor animalia & viginti quatuor seniores cantabant canticum novum dicentes: Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula ejus.*

*Præl*ud: 1. Imaginationi visionis impende: simulque apprehende consilia Evangelica per eam denotari.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi eadem saluberrima Evangelii consilia eaq; exequendi.

PUNCTUM I.

Excellentia consiliorum Evãgelicorũ.

COnsidera per agnum Apocalypticum, intelligi Christum, per librum ei porrectum, Evangelica consilia, per sigilla, ætates mundi. Neminem verò tot ætatibus & seculis dignum inventum, qui hunc librum consiliorum Evangelicorum aperiret, ac orbi promulgaret. Non Abraham, non Moysen, non David, non Eliam, non ullum ex Prophetis: ita ut per tot annos, non tantùm populum illum à Deo electum, nempe populum Israeliticum, cui ipse Deus tot præcepta & leges arcanaq; sua communicaverat, sed etiam tot singularissimos Dei servos hic liber lateret. Uni Christo hujus libri aperiendi facultas concessa, nobisq; nonnisi, *ad quos fines seculorum devenerunt*, ea sors & notitia relicta, tam utilis, tam efficax ad perfectionem Christianam, eamq; sublimem, & salutem æternam.

Quibus

Quibus expensis gratias age bonitati divinæ pro ea dignatione: quod te ipsum hujus dignationis & conscium & participem fecerit. Exclama cum animalibus & senioribus apocalypticis: *Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula ejus.*

PUNCTUM II.

Consilia Evangelica per ordinem ad Deum, ad proximum, ad te ipsum.

CONsidera inprimis Librum consiliorum Evangelicorum dici *scriptum intus & foris*: nec simile quid pronuntiari de libro præceptorum. Nempe Dei bonitatem ac discretionem esse, & non exoticum imperium: quod plura cõsulat quam præcipiat. Æstima hunc ipsum tam discretum imperandi modum.

Jamq; expende quænam sint hæc consilia à Christo promulgata? *Nempe estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Oportet semper orare, & nunquam deficere: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus. Si quis te percusserit in dextram maxillam præbe illi & alteram. Mutuum date, nihil inde sperantes. Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. Abnega temetipsum & tolle crucem tuam. Nisi quis renuntiaverit omnibus, non potest meus esse discipulus. Qui plus diligit Patrem, non est me dignus. Beati pauperes, Beati mites, qui persecutionem patiuntur, beati mundo corde, &c. Si quis venit ad me & non odit Patrem suum, & Matrem, & uxorem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*

His expensis reflecte te, quomodo hæc ipsa, hactenus adimpleveris, aut saltem deinceps adimplere debeas.

PUNCTUM III.

MOTIVA

COnsidera motiva quæ te ad prædicta Evangelica consilia adimplenda permoveant.

Ac inprimis excellentia eorundem consiliorum, ita ut illi

ut illi, ipsi cælestes, ac Cherubici spiritus per novum canticum applauserint. Et quod de dextera ipsius Dei accepta, illoq; auctore edita.

Inter alia verò motiva præcipuum esto exemplum Christi, ita ut nihil ex his omnibus Christus faciendum hominibus proposuerit, quod ipse primus non fecerit. Unde dicitur primus aperuisse librum consiliorum, aperuisse inquam non manu, sed vita, moribus & exemplo. Unde hic non in aliqua alia specie sed in Specie agni & quidem tanquam occisi apparuit, ut hac ipsa exprimeret, quod totum id ipse egit, quod aliis agendum consuluit.

Expende hoc ipsum in singulis præfatis consiliis Evangelicis, Christiq; exemplo ad similia te accende.

Colloquium ad Christum offerendo eidem memoriam, intellectum, omnes potentias & vires ad implenda consilia Evangelica. Tum ad Beatissimam Matrem, cui hic liber consiliorum primæ post Christum patuit, ab illaq; adimpletus perfectissimè, petendo scilicet ab eadem, ut tibi apud Filium gratiam efficacem, eadem consilia adimplendi impetrare dignetur.

MEDITATIO XLIII.

De vocatione ad religionem.

FUndã: Apparitio Angelica facta Lotho gen: 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere: dixerunt autem ad Loth: Habes hic quempiam tuorum? educ de urbe hac, delebimus enim locum istum. Egressus itaq; Loth locutus est ad generos suos & dixit: surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc: Et visus est eis quasi ludens loqui. Cumq; esset mane, cogebant eum Angeli dicentes: surge tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere Civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum*

ejus. Eduxeruntq; eum & posuerunt extra civitatem, ibiq; locuti sunt ad eum dicentes : salva animam tuam noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.

Prælud : 1. Consvetum

Prælud: 2. Petitio gratiæ agnoscendi donum vocationis, amoremq; ejus concipiendi.

PUNCTUM I.

COnsidera hac visione & historia adumbrari vocationem nostram ad religionem.

Terminus à quo & terminus ad quem vocationis.

Atq; hic expende inprimis terminum à quo. Nempe unde vocatus es? scilicet è Sodoma tot sceleribus & ultimo exitio obnoxia. E mundo utiq; totq; periculis corporis & animæ, tot occasionibus peccandi, amittendiq; æternam salutem, ex tot improborum consortio : Ac insuper tot sollicitudinibus, turbis, molestiis, amaritudinibus, incommodis, nullo aut modico merito tolerandis, plenissimo. Gratias age Deo quod te hinc eripuerit.

Simulq; expende 2dò terminum ad quem te Deus vocavit ac è Sodoma mundi eduxit. Nempe ad montem perfectionis religiosæ, ad montem omnis securitatis salutisq; æternæ : ad montem vicinum cælo, remotum ab omni Sodomitici incendii atq; exitii, periculo, ad Religionem utiq; hoc est statum admodum sublimem planèq; cælestem. Ad eum statum in quo longè es securior salutis æternæ quàm in seculo : cui centuplum in hac vitâ, & post illam possessio vitæ perennis annexa. Ubi tot adjumenta tot auxilia tot opportunitates, ad consequendam perfectionem ac beatitudinem æternam : ubi nullus gravioribus saltem peccatis aditus patet. Ubi juxta S. Bernardum *Homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, moritur securius.* Vide an hæc in te verificentur?

PUNCTUM II.

COnsidera imprimis quomodo Loth è Sodoma eductus in montem.

Modus vocationis.

Tum etiam considera modum quo quisq; vocatur ad Religionem educiturq; è seculo.

Peculiariter autem tui ipsius vocationem expende. Quomodo inprimis ab æterno Deus præviderit æternam cum tot aliis tui perditionem, ni te è Sodoma mundi educeret. Quomodo postea tot internos instinctus ac desideria vitæ religiosæ capessendæ tibi injecerit, quam svaviter, quamve efficaciter hæc eadem desideria in te promoverit, toties tibi velut alteri Loth inculcando: *Salva animam tuam. In monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Quæ ad hæc in te fuerit tergiversatio sive cunctatio, & interna quædam lucta. Quomodo interim idem DEUS hos vel illos tibi velut Angelos tutelares tibi providerit: qui te in hisce tuis juvêre desideriis, erexerunt dubitantem, cunctantem stimularunt, & fortassis dissimulantem, velut apprehensa manu in Montem hunc securitatis religiosæ deduxerunt, pænèq; coegerunt nolentem. Neq; dixeris non fuisse propterea veram tuam à Deo vocationem: an non enim Loth verè à Deo ex Sodoma vocatus, eductus, ex eo quod eum Angeli apprehensis manibus coegerint? an etiam ideo idem Loth eductoribus sui Angelis vitio postea verterit quod eum è Sodoma in montem eductũ in securo collocaverint?

Expende has vel alias tuæ vocationis ac ingressûs ad Religionem, circumstantias, præsertim tot alios te meliores in Sodoma sæculi ad perditionem relictos, te vero è numero illorum assumptum, amotis omnibus impedimentis, & obstaculis, suppeditatis omnimodis auxiliis. Ac proinde adverte, quantum pro his omnibus DEO tuo debeas pro tota æternitate?

PUNCTUM III.

Finis & obligatio vocationis, tum pœna deserentium eandem.

COnsidera inprimis ideo Loth è Sodoma ereptum, ideo in montem deductum, ut se ibi animamq; suam salvaret.

Atq; hinc expende, non alio quoq; fine ac beneficio te ad Religionem vocatum, quam ut salves animam tuam: vide igitur, ne hanc potius perdas: idq; tibi aut simile quid eveniat, quod ipsi Loth, & filiabus ipsius, quæ in medio Sodomæ integræ intactæq; manserunt, extra Sodomam autem in monte præfato turpi arsere incendio.

Considera 2dò non malè religionem assimilari huic monti, ad quem Loth ab Angelis deductus. Non malè inquam Tum ob excellentiam & sublimitatem religiosi status. Tum propter obligationem status ejusdem tendendi ad sublime perfectionis, idq; per exercitium virtutum huic statui debitarum, nempe paupertatis castitatis &c.

Hinc expende mala quæ incurrat religiosus non satisfaciens huic obligationi. Atq; inprimis quod eo ipso peccet mortaliter si negligat perfectionem. Jam si nec media adhibeat, si se negotiis profanis implicet, si passim regulas transgrediatur, Silentium frangat, affectus animi non reprimat, sensus corporis non moderetur, passiones & habitus malos non mortificet, venialia saltem graviora & deliberata non caveat, nihil studii ac diligentiæ in rerum Spiritualium usu ac meditatione ponat, quod periculo se gravis peccati exponat, Insuper talium religiosorum non satis facientium obligationi suæ pænam esse: quod illis post neglectam tot gratiarum sibi toties à Deo submissarum farraginem justitia divina gratias efficaces subtrahat ad vincendas tentationes, in quas se ultro ingerunt, ita ut in peccata gravia irremediabiliter prolabantur nec exurgant ad pænitentiam, sed in profundum corruant, ipsis secularibus deteriores. Quibus expensis agnosce tuam obligationem, & quo casu ei non satisfeceris, ad prædicta mala & pænas exhorresce.

Tandemq; considera 3tiò ex una parte pænam uxoris Loth respicientis retro. Ex altera pænam deserentium vocationē ad religionē, sive etiā religionē ipsā. Imo illorum quoq; qui etsi de facto religionem non deserant, tamen vel deserere cogitant licet inefficaciter, vel dolent se illam ingressos, vel ad ea quæ deseruerunt amore eorundem & affectu respiciunt &c. Vide an è numero talium non sis?

Colloquium & affectus ad Christum clavis cruci affixum, gratias agendo pro gratia vocationis, ac petendo simul; ut dignos hac vocatione fructus afferas, nec te à Cruce Christi, cui te per vocationem affixisti, unquam sejungas.

MEDITATIO XLIV.

De Excellentia status Religiosi.

FUndam: Visio per Somnium facta Josepho Patriarchæ Gen: 37. *Audite Somnium meum quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosq; manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt, fratres ejus: Numquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?*

Prælud: 1mum consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi excellentiam status religiosi, eumq; ut par est æstimandi.

PUNCTUM I.

Mundus hic campus messis spiritualis.

COnsidera per campum in quo Joseph videbatur sibi ligare manipulos cum suis fratribus, intelligi hunc mundum, per manipulos messem meritorum, quam quisq; nostrum in hac vita colligere debet, & in illud cæleste horreum importare juxta illud Psalmi: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Et

Et certè non frustra hæc comparatio & assimilatio meritorum nostrorum cum messe & manipulis instituta.

Sicut enim inprimis messis non à sola fæcunditate terræ, non à solo rore Cæli, non à solis siderum influxibus, sed simul à nostro studio, manibus, labore, sudore dependet: ita ut nec sine Deo, nec sine nobis esse possit: ita etiam merita nostra non sola gratiâ Dei & auxiliis supernaturalibus constant, sed etiam nostrum studium, manus, applicationem, laborem exigunt nec vulgarem.

Secundo sicut messis frumentaria non est opus ac negotium subitaneum unoq; tempore absolvendum; cùm inprimis debeat præcedere agri expurgatio, cultura, seminatio, post hæc ortus cujuscunq; frumenti: quod primo crescit in gramen, exinde crescit in spicam, ultra adolescit in granum, tandem maturescit in messem. Succiditur, ligatur in manipulum. Ita se pariter messis meritorum virtutisq; habet. Non est omnino quid repetinum: Præcedat inprimis necesse expurgatio animi à vitiis, passionibus, habitibus pravis, sequantur tot alia quæ ab ascetis præscribuntur. Tandem sensim radicentur virtutes, augeantur merita, magisq; semper adolescant. *Ut enim nemo repente malus ita nemo repente bonus.*

Tertio sicut messis ne dissipetur, sed imo conservetur securius, colligenda, ligandaq; est in manipulos. Ita etiam virtutes ac merita, quo plenius tutiusq; permaneant, ligamentis strictioribus, mortificationis scilicet tam internæ quam externæ, circumspectionis, custodiæ sensuum firmiorum propositorum indigent. Et quia manipuli in sphæram ac circulum ligantur; planè ita cum omnibus nostris actionibus ut sint meritoriæ agendum est, ut scilicet nunquam extra sphæram honesti & boni extra Deum qui circulus est exeant & procedant, intra circulum æternitatis versentur, seq; contineant.

Vide quod in te hujus messis studium? quis circa illam labor, quis procedendi eamq; augendi modus?

 PUN-

PUNCTUM II.

Discrimen status religiosi à statu seculari.

COnsidera ex una parte discrimen inter manipulos Joseph: & manipulos fratrum. Nempe quod etsi omnes in eodem agro progeniti, in eodem creverint, adoleverint, maturuerint: uno imbre rigati, illustrati Sole, unus tamen illorum nobilius excellentius incrementum, sortem & palmam præ aliis retulit, reliqui minore sorte donati mansere.

Ex altera parte expende discrimen status religiosi à statu secularium.

Inprimis enim per Josephi Patriarchæ manipulum intellige statum religiosum quo ad merita. Per manipulos fratrum merita status secularis. Proinde sicut manipulus Joseph, in multis præstitit manipulis fratrum, ita & status Religionis longe præstat quo ad merita statui seculari.

Sicut enim primo manipulus Josephi fuit major præ aliis, auctior altiorq;, ita & merita statûs religiosi, longè plura, majora, auctiora, quàm secularium.

Secundo sicut manipulus dicti Patriarchæ non solum sursum assurgebat crescebatq; sed etiam firmiter stabat, aliis manipulis relabentibus: ita status religiosus in suis virtutibus & meritis firmior persistit: quàm status secularium juxta illud S. Bernar: *Cadit rarius, surgit velocius.*

Tertio sicut frumentum in manipulo Josephi licet plenissimè maturum, licet post absolutam adultam messem, licet à terra recisum, tamen adhuc magis magisq; crevit: ita plane religiosorum hominum est semper ad ultimam senectam & mortem ipsam in meritis crescere & quo videntur plenius maturuisse, adhuc semper illos habere, quo crescant & assurgant. Tunc vero eosdem assurgere sublimius cæloq; ipsi propius, dum à terra terrenisq; quasi recisi, ab illis sese alienant ac retrahunt.

Vide quem circa prædicta sensum habeas, quantumve virtute ac merito seculares antecellas?

PUN-

PUNCTUM III.

COnsidera quomodo manipulus Josephi non tantum crevit supra manipulos fratrum, sed simul eo ipso præsignabat fortunam Josephi dignitatem fortunam & excellentiam quâ fratres suos longè antecedere debuerat. Idemq; de statu religiosorum expende: quorum merita sicut in hac vita præstant meritis secularium, ita simul futuram eorum in cælo gloriam præsignant. Vide quem tibi tua merita in gloria cælesti gradum pollicentur? an non plurimi secularium tibi antecellent?

Colloquium. Gratias age Deo, quod te ad tam excellentem statum nullo tuo merito vocaverit. Pete gratiam ut illi excellentiâ operum & meritorum respondeas ac dignè tua vocatione ambules.

MEDITATIO XLV.

De vocatione ad Societatem.

FUndam: Locus Jeremiæ cap: 1. *Factum est* (inquit) *Verbum Domini ad me dicens: Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te & prophetam in gentibus dedi te, & dixi: aaa Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et misit Dominus manum suam & tetigit os meum, & dixit ad me: ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes. Ne timeas à facie eorum quia tecum ego sum.*

Prælud: 1. Consvetum in quo simul apprehende similiter te ad Societatem vocatum.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi donum vocationis ad Societatem, illiusq; amorem concipiendi.

PUN-

PUNCTUM I.

Comparatio vocationis Propheticæ cum vocatione tui ad Societatem.

COnsidera similem tui vocationem ad Societem huic propheticæ.

Inprimis enim antequam & tu formareris in utero, elegit te Deus ad hanc suam Religionem. Tum postea providit tibi corpus, vires, talenta, naturam, capacitatem huic statui idoneam. Jam cum nescires nisi aaa loqui, in scholis perfecit tuum intellectum & memoriam, ut in studiis proficeres, aptusq; ad Societatem judicareris: mirabiliter & suaviter te ad illam vocando, ac materno pene affectu manu ducendo, removendo impedimenta, providendo tales qui tibi sua manuductione assisterent, teq; in tuis desideriis juvarent, inclinando ad tui admissionem superiores; aliis pluribus postpositis, te autem assumpto.

Cum vero ad religionem susceptus esses, ac vestem religiosam assumpsisses; quomodo idem Deus manum suam apposuit ad os, ad caput, ad cor tuum; ut te tam in Spiritu quam doctrina aptum suæ gloriæ instrumentum efficeret, aptum ad conciones, Rhetorica, speculativa, ascetica aliaq; ministeria.

Expende ista & alia quæcunq; occurent, Deoq; gratias exhibe, pro tam mirabili suavi & efficaci tui ad Societatem vocatione, nec non conservatione in eadem.

PUNCTUM II.

Finis vocationis ad Societatem.

COnsidera ad quid te, ad quod munus, ad quem finem in Societatem vocavit? Nempe ad id ipsum quod prædictum per Prophetam: Ut inquit evellas, destruas &c. Id est extirpes in hominibus vitia, destruas in iis regnū diaboli, disperdas, dissipes illius fraudes, tentationes, artes &c. ædifices verbo exemplo, plantes virtutem; amorem Dei & honesti &c. Adeoq; vocavit te Deus, non ad otium, non ad commoditates, sed ad labores incommoda ærumnas, perse-

persecutiones cruces ab externis domesticis notis & ignotis perferendas, sugillationes murmurationes irrisiones ludibria, contemptus depressiones, parvipensiones tuorum laborum, derelictionem tui ob omnibus post omnes labores toleratos, sine ullo solatio, appretiatione tui præteritorumq; tuorum laborum sine jubilatione &c. Quibus expensis reflecte te, quo sis animo & affectu ad ista?

PUNCTUM III.

COnsidera primo felicitatem eorum, qui vocati sunt ad Societatem ut pote imprimis ad religionem non dissimilem statui & dignitati prophetarum uti quoq; sunt & aliæ Religiones. Plane enim in illa Spiritus & munia elucent prophetica. Præterea ad religionem, cujus curæ laboribus tot gentes & regna in ordine ad sui spiritualem in fide ac virtutibus Christianis culturam demandata ac subiecta: *Ecce constitui te super gentes & super regna.* Ad Religionē Deo ac Christo dilectam, ad Religionem sub speciali B. M. Virginis protectione (ut vidit P. Guttierez) existentem: ad Societatem & statum pene prædestinatorum: Nemo enim in Societate moritur nisi prædestinatus: ut revelatum non uni. Ad talem Religionem, in qua est specialis campus, ad plura patranda & perferenda pro Dei gloria, pro tua & proximorum salute pro insigni præmio in cælis comparando. Æstima hinc quantum potes tuam vocationem.

Felicitas eorū qui vocantur ad Societatē ac infelicitas deserentium eandem.

Considera 2dò Infelicitatem deserentium Societatem. Quid enim aliud est illam deserere, quam deserere ipsum cor JESU: deserere protectionem B. M. Virginis: deserere statum prædestinatorum, & forte transire ad statum damnandorum, aut saltem securitate salutis abjecta, incidere in periculum damnationis. Præterea deserere Societatem, est privari tot talentis, Scientiâ, doctrinâ, in pœnam contemptæ vocationis, ut videre est in plerisq; desertoribus.

Deteſtare hunc tam miſerum deſertorum ſtatum & ſortem. Et ſi quæ ſunt, quæ te in Societate angunt & diſcruciant, ſive hæc procedant à ſuperioribus, ſive ab æqualibus, ſive à domeſticis ſive ab externis.

Conſidera 3tiò id ipſum quod eodem loco ad Prophetam: *Ne timeas, quia tecum ego ſum ut eruam te dicit Dominus.* Atq; hinc cape ſolatia tuorum timorum, anxietatum, afflictionum.

Colloquium & affectus: Imprimis ad Deum Patrem petendo ab eodem, ut ſicut ille S. Ignatium, & in illo Societatem filio ſuo Chriſto Domino olim commendaverat, ita te quoq; eidem commendare dignetur. Tum ad ipſum Chriſtum ut idem etiam, ſicut olim Sancto Patri ſpoponderat, ſe illi futurum propitium, ita tibi quoq; ſua propitiatione in omnibus adverſis non deſit. Tandemq; ad Beatiſſimam Parentem ſpecialem Societatis Patronam & fautricem, ut eo affectu quo totam Societatem complectitur & protegit, te etiam complecti & protegere velit.

Hæc quoq; meditatio cuicunq; Religioſo expeculiaribus conſiderationum applicationibus ſerviet.

MEDITATIO XLVI.

De geſtis Chriſti in genere per triennium Prædicationis ac de Imitatione ejusdem Chriſti in Societate, ac in quacunq; Religione.

FUndam: Viſio Joannis Apoc: 14. *Vidi & ecce agnus ſtabat ſupra montem ſion & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. Hi ſequuntur agnum quocunq; ierit.*

Prælud: 1 Imaginatio viſionis cum impreſſione apprehenſionis geſta Chriſti per triennium prædicationis eadem viſione repreſentari.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi eadem geſta Chriſti eaq; imitandi.

PUNCTUM I.

Obligatio Societatis & cujuscunque Religionis imitādi Christum.

CONsidera per centum quadraginta quatuor millia posse intelligi Societatem, utpote nomine Jesu insignitam.

Tum quod ea specialiter obligetur, ut sequatur agnum quocunq; ierit, idq; per imitationem Christi.

Obligetur inquam primo ratione nominis JESU quod gerit: multum enim probri esset: si nomini mores & actiones minime correspondèrent.

2do. Quod Socii Jesu simus: ipse autem Dux ac Imperator noster. Quid autem magis pertinet ad militem, quàm sui Ducis exempla sequi, ejusq; vestigiis insistere?

Tertio Ratione instituti nostri quod à S. Patre nostro, planè ad normam vitæ & actionum Christi est contextum.

Quartò. Quod id à nobis sanctus Pater enixè velit. Hinc in exercitiis præsertim 4. hebdomadarum ac in quotidianis meditationibus, vitam Christi nobis considerandam proposuit, eamq; semper in oculis habere suasit & jussit. Ac tandem non alium finem nostræ Societati præfixit, quam post privatæ salutis curam, curam quoq; salutis animarum. Tum etiam gloriæ divinæ propagationem. Idem vero planè fuit scopus vitæ & laborum Christi.

Quintò. Quia alioquin si nobis imitatio Christi cordi non esset, planè essemus otiosa idola, vana nomina, picti Jesu Socii, opprobria tanti nominis, transgressores instituti voluntatisq; ac intentionis sancti Patris capitales.

Expende tam justam obligationem, quâ teneris ad imitationem Christi.

Pariter vero quisq; Religiosus consideret eadem se obligatione teneri, expendendo motiva peculiaria, ex vi suæ Religionis ac instituti.

PUNCTUM II.

Gesta Christi per trienniū prædicationū

COnsidera in quonam sequi & in quonam imitari agnum nostrum hoc est Christum debeamus? Nempe in omni-

bus, sequendo ipsum non pedibus sed imitatione *quocunq; ierit*, hoc est quidquid egerit, aut passus fuerit?

Atq; imprimis expende vitam & gesta Christi per respectum ad Deum Patrem. Nempe primo quomodo erat orationi addictus: scilicet ita ut esset *pernoctans in oratione Dei* 2dò Quomodo in Dei Patris voluntatem resignatus, *ut cibus ejus esset facere voluntatem ejus*. Tertiò Quomodo in iis quæ Patris erant sedulus, ut etiam relictis Parentibus adhuc puer remansisset Jerosolymis. Quartò quomodo de gloria & clarificatione Patris erat sollicitus ut diceret: *Ego non quæro gloriam meam sed ejus qui misit me.* Quintò quomodo præceptorum Patris erat observans: *Ego* (inquit) *Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Sexto quomodo eidem obediens: *Factus est obediens usq; ad mortem.*

Jam vita Christi & opera, per respectum ad proximum qualia, quanti labores, sollicitudines, incommoda? Quot prædicationes, conciones, sermones instituti? Quot itinera terrâ mariq; suscepta? Quanta beneficia, obsequia, gratiæ, favores, proximis impensa: *Petransibat bene faciendo* Quanta miseratio erga homines, compatientia illorū necessitatibus: indigentiis: *Misereor super turbam, quia triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Quanta suavitas in agendo, ut omnes ad se pertraheret? Quanta ad omnes æquanimitas demissio sine ullo supercilio, sine despicientia ullius. Quanta affabilitas, sine ulla amaritudine, quanta ad ipsos peccatores propensio? Quanta interim in omni conversatione circumspectio: ut tot Zoili & observatores, non invenissent, quod justè objicerent, & carperent.

Tandem vita & opera Christi per respectum ad seipsum qualia? Quanta humilitas, quanta paupertas, abnegatio, verecundia? Quanta temperantia & jejunia. Inter tot miracula, plausuum humanorum fuga, ut illa propalare non juberet &c. Expende singula, ad illorumq; imitationem per efficacia proposita te accinge.

PUN-

PUNCTUM III.

Assume regulam Summarii 11mam: *Diligenter animadvertant oportet &c.* eamq; accuratè expende. *Regula summarii 11.*

Pariter vero quisq; Religiosus peculiares suas Regulas Imitationem Christi præcipientes expendat.

Colloquium ad Christum Dominum, agendo illi imprimis gratias, quod dignatus sit esse exemplar omnium virtutum, idq; ideo ut tu haberes præ oculis manifesta vestigia quibus insisteres. Tum petendo gratiam iisdem vestigiis efficaciter insistendi, exclamando cum sponsa: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

MEDITATIO XLVII.

De Injuriis & persecutionibus per triennium prædicationis Christo irrogatis ac de imitatione ejusdem in iis tolerandis.

Fundam: Visio Joannis Apoc: cap: 5. *Et vidi* (inquit) *& ecce in medio throni agnum stantem tanquam occisum.*

Prælud: 1. Consuetum.

Prælud: 2. Pete gratiam recogitandi injurias & persecutiones Christo irrogatas per triennium prædicationis, similesq; pro ejus amore & gloria perferendi.

PUNCTUM I.

Considera per hunc agnum significari Christum. Dicitur autem non occisus absolutè & simpliciter, sed *tanquam occisus* ob tot injurias, persecutiones, ærumnas toleratas, quæ quidem mortem ac necem non intulerunt Christo. Verumtamen morti, ac nescio quibus suppliciis æquiparari poterant. *Injuriæ Christo illatæ cogitationibus, verbis operibus.*

Unde expende, quæ & quanta Christus per triennium suæ prædicationis perpessus est?

Atq; imprimis illas contra se, sibi conscias, cogitationes malitiosas, detractorias, judicativas, dolosas, blasphæmas, ad internetionem sui ac depressionem extremam ordinatas, ac distillatas.

Tum linguas pariter mordaces, perstrictivas, contumeliosas, calumniantes, criminatrices, accusatrices, censorias. Dum Christum per contemptum vocabant: *filium Fabri, Potatorem vini, seductorem, violatorem sabbathi, legumq; divinarum & humanarum, ejicientem, in Beelsebub dæmonia.*

Jam quæ in illum scelerate acta? quot modi adhibiti ut illum supplantarent, publicis propinarent odiis, ignominiis, infamiæ? Quoties lapides ad illum lapidandum de terra sublati? Quot molimina ad illum interficiendum, ut illum etiam præcipitare de vertice montis voluerint? Quot ingratitudines pro ejus doctrina, sanationibus, miraculis. Quanta persecutio discipulorum ipsius? Quam malitiosa resolutio consciscendi necē Lazaro à Christo resuscitato &c. Et per hæc omnia quantum ex vi & intentione malitiæ Judæorum, Christus non semel sed toties velut occisus,

Quibus expensis compatere Christo, & ad similia te resolve.

PUNCTUM II

Quomodo hæc ab illo tolerata?

Considera quomodo hæc omnia à Christo tolerata? Nempe tanquam ab agno *qui coram tondente se obmutuit.*

Hoc est cum omni dissimulatione, mansuetudine, taciturnitate, sine ullo impatientiæ aut perturbationis signo, sine ullo vindictæ studio, imo retribuendo bona pro malis.

Considera 2dò dici hunc *agnum tanquam occisum* & tamen *stantem*, nempe etiam inter probra, vulnera, necem, non animo concidit, sed inter hæc omnia erectus stetit ac invictus. Ideoq; amplius considera: nihil horum, quæ ipsi irrogata, illum permovisse, ut ab opere salutis desisteret, nequa-

nequaquam in his omnibus animo dejectum; quo minus se constanter illorum charitati impenderet, quo sua beneficia in illos tam ingratos conferret.

Expende ista, modumq; persecutiones tolerandi ex his ipsi edisce.

PUNCTUM III.

Considera id quod de eodem agno ibidem in Apocalipsi additur. Scilicet quod visus sit *in medio throni*, hoc ipsum expendendo quid agno & quidem occiso cum throno adeoq; cum regno? Tandemq; intra te conclude persecutiones usq; ad internectionem toleratas, eò illum extulisse. Tum idem quoq; ipsum de Societate & quavis Religione cogita: nimirum quod illas non aliud toto orbe propagaverit, regnatrices virtute, sapientia, & fama effecerit, quam persecutiones, lingvæ, probra illata &c. *Quo premio*

Hinc ulterius expende motiva & obligationem Societatis hac in parte Christum Dominum imitandi: Nempe præter illa quæ in recens præterita meditatione sunt allata, scilicet præter nomen Jesu quo insignimur, exemplum Ducis quod sequi tenemur, rationem Instituti quo ad id non unâ regulâ obligamur, voluntatem Sancti Patris nostri Ignatij expressam; qui nobis utpote legitimis filiis, tanquam successionem testamento legavit, persecutiones, linguas, cruces, ingratitudines &c. Præter hæc inquam esse potissimum motivum, rationem status nostri ac conservationem Societatis quæ tamdiu in suo vigore duratura est, quamdiu persecutiones, in illam desævierint. Quanquã & alii cuivis religioni, imo & cuicunq; statui convenientia sibi, in ordine ad imitandum hac in parte Christum, motiva occurrere possunt.

Quibus expensis: ad imitationem ejusdem Christi in tolerandis omnibus adversis quantum potes, per reflexiones & resolutiones practicas, nec non efficacia proposita te accinge.

Collo-

Colloquium & affectus ad Christum, gratias ipsi agendo pro ea erga tuam Religionem dignatione: quod illam in partem & consortium tam laboris quàm persecutionum suarum admiserit, petendo ab eodem, ut iisdem persecutionibus illam propagare & conservare non desistat.

MEDITATIO XLVIII.

De prædicatione Verbi Divini & munere Concionatoris.

FUndam: Visio Proph: Isaiæ 6to. *Et dixi væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis, ego habito. Et volavit ad me unus de Seraphim & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat, de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce hic tetigit labia tua, & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis: quem mittam & quis ibit nobis? Et dixi: ecce ego mitte me: & dixit: vade & dices populo &c.*

Prælud: 1. Consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam, dignitatem, & obligationem ejus muneris agnoscendi, illudq; digne ad gloriam Dei obeundi.

PUNCTUM I.

COnsidera hac visione designari munus prædicationis Verbi divini, ad quod assumitur Propheta.

Excellentia hujus muneris accessusq; ad illud.

Ubi imprimis adverte dignitatem ejus muneris. Nempe esse commune cum Prophetico munere imo cum Angelico: Sicut enim Angelus idem est quod missus & hoc vocabulum habet à mittendo: ita prædicator verbi Divini, ex quo eo officio ex Dei missione fungitur, non dissimili dignitate resplendet.

Adver-

Adverte secundo pretium hujus ejusdem officii vel ex hoc ipso desumi & elucere, quod sit ex immediata Dei ipsius missione ac delegatione, ita ut prædicator verbi divini sit quidam Dei delegatus.

Hinc tertio adverte, quam promptè ad hoc munus & laborem se quisq; Deo offerre debeat, cum Propheta exclamando: *Ecce ego, mitte me;* & quidem ita offerre uti idem Propheta, qui non prius exquisiit de loco ad quem mittẽdus esset, non de populo, non de stipendio, non de laboribus ac incommodis, non de victûs & amictûs ratione, sed absq; ulla disquisitione se illico obtulit.

Adverte tamen quarto, non temerariè sed ex Dei vocatione, electione, missione, quemq; ad id muneris debere accedere.

Adverte tandem svavissimâ ejusdem Dei ad hoc idem munus vocationem. Nempe non habentem se per modum despotici imperii, sed per modum invitationis politicæ & discretæ, expiscantis & exquirentis spontaneam sui oblationem & assensum. Dicit enim: *quem mittam: & quis ibit nobis?*

Quibus expensis reflecte te, quo animo sis ad hoc officium obéundum, quave promptitudine & alacritate illud obeas? Tum in orbem totum oculos conjice, ubi postquam videris, tot animas sive in profunda barbarie ac ignorantia veri Numinis, sive in turpi peccatorum limo existentes, nec habentes qui easdem inde sublevet: Quam primum te cum Propheta offer & exclama. *Ecce ego mitte me.*

PUNCTUM II.

Adjuncta ejus muneris.

Considera adjuncta muneris concionatorii ac ipsius concionatoris prædicatorisq; Verbi Divini.

Nempe primo debere illum esse emundatum ab omni nævo peccati, juxta id quod Prophetæ dictum: *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quis enim in

aliena inveheretur scelera, si ipse iisdem obnoxius esset.

Secundo Prædicatorem maximè debere esse mundissimis labiis & lingua. Quid enim illa lingva in emundandis à peccato alienis conscientiis valeret, si ipsa omni scateret immunditia? Insuperq; quomodo Verbi divini dignè bajula esset quæ simul tot se spurcitiis deturpari permitteret?

Tertio ex quo non Cherubim id est scientia, sed Seraphim, amore Dei incensus ad erudiendum Prophetam deputatur, adverte prædicatorem verbi divini non tam scientia quam igneo amore Numinis debere pollere.

Quarto. Ex quo labia Prophetæ perpoliri jubentur calculo seu carbone ignito non aliunde sed de altari sumpto: Adverte prædicatorem eundem non aliunde scilicet non de prophanis auctoribus arisq; materiam debere sumere, sed de Dei altari, scilicet ex scriptura, Evangelio & Patrum testimoniis, exemplis &c.

His vero expensis vide quæ horum eorundem adjunctorum apud te observatio?

PUNCTUM III.

Pæna hoc munus negligentium, aut illi ut par est nō respondentium.

CONsidera culpam eorum ac pænam qui prædicationi Verbi divini cum possint insistere, tamen tam præclarum ac salutiferum munus intermittunt. Hinc sibi Propheta intonat: *Væ mihi quia tacui.*

Considera 2dò. eo majorem culpam ac pænam in eos derivari, qui cum *in medio populi* (ut ait Propheta) *polluta labia habentis*, ac sceleribus contaminati, versantur, non tantum alios prædicatione verbi divini à pravis operibus & habitibus non emundant, sed imo se ipsos per contagionem coinquinant, eandemq; labiorum & conscientiarum pollutionem & labem contrahunt.

Vide an non te qvoq; ea culpa teneat, maneatq; similis pæna?

Collo

Colloquium & affectus Verba illa, quæ sacerdos ante recitationem Evangelii profert : *Munda cor meum ac labia mea omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare ; ut Sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare Per Christum Dominum nostrum. Jube Domine benedicere : Dominus sit in corde meo & in labiis meis, ut dignè & competenter annuntiem Evangelium suum.*

MEDITATIO XLIX.

De Christo Prototypo vitæ, & morum Societatis & cujuscunq; Religiosi.

FUndam : Visio Joannis Apoc: 1. *Et conversus vidi 7. candelabra aurea, & in medio 7. candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ. Caput autem ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix. Et oculi ejus tanquam flamma ignis, & pedes ejus similes Aurichalco sicut in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquárum multarum, & habebat in dextera sua stellas 7. Et de ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat, & facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua : & posuit dexteram suam dicens: Noli timere t Ego sum primus & novissimus.*

Prælud : 1. Idem.

Prælud : 2. Pete gratiam agnoscendi tuum Prototypon, illiq; te conformandi.

PUNCTUM I.

COnsidera in hac visione expressum esse , Prototypon, juxta quod, religiosus quilibet Societatis, & quiscunq; alius se formare debeat, eiq; vitam suam & mores conformare in omnibus. Intelligiq; eo loco ipsum Christum Ducem ac Regem nostrum. *Effigies Christi.*

Inprimis itaq; expende ipsam hujus viri Apocaliptici scilicet Christi effigiem.

Caput (inquit) *ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba & tanquam nix* Nimirum sapientia eximia, prudentia cana; matura, defecata, sine omni dolo, fraude & fuco.

Oculi tanquam flamma ignis, id est contra mundum carnem, diabolum incensi, illecebrarum mundi impatientes: humanis respectibus sese non ducentes: quid enim magis absq; respectu, quam ignis?

Facies ejus sicut Sol, hoc est semper serena in adversis & prosperis, oriens super justos & injustos, super nobiles æque ac ignobiles, eosq; illuminans.

Pedes similes Aurichalco, id est speciosi, nitidi Evangelii prædicatione, impressisq; orbi vestigiis: juxta illud: *quam speciosi pedes evangelizantium*

Vox illius tanquam vox aquarum multarum, id est vox scripturarum divinarum, aut etiam vox magno impetu in aures & corda peccatorum influens.

Vide an tua etiam externa effigies hæc eadem aut saltem similia lineamenta retineat.

PUNCTUM II

Vestitus ac insignia Christi.

COnsidera amictum & insignia ejusdem viri apocaliptici Christum repræsentantis.

Inprimisq; dicitur *vestitus podere* hoc est veste sacerdotali in qua erat orbis terrarum effictus. Nimirum eo significari, non unius anguli, sed mundi totius Salutem Christo cordi fuisse.

2dò. *Dicitur præcinctus zona aurea ad mamillas*, id est excellenti charitate Dei & proximi, tum materna plane generis humani dilectione, mãsvetudine & clementia

3tiò. *Habebat in dextera sua stellas septem*, hoc est septem dona S. Spiritûs, quibus obscuras ac cæcutientes hominum mentes & corda illuminabat.

4tò.

4tò. *De ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat*: hoc est gladius Prædicationis verbi Dei, veritatis neutri parti faventis, parcentiq; , verum se æqualiter habentis ad omnes, per modum gladii ex utraq; parte acuti, ac in partem utramq; versatilis.

Vide an apud te quoq; similium indumentorum insigniumq; usus?

PUNCTUM III.

COnsidera reliqua adjuncta & propietates Christi in persona prædicti viri apocaliptici, repræsentati.

Reliqua Christi adjuncta.

Inprimisq; expende eum inter candelabra deambulantem, id est juxta Interpretes obambulantem Ecclesias per hæc candelabra significatas, promovendo in eis gloriam & cultum Dei Patris, necnon curam agendo salutis animarum.

Secundo expende id ipsum quod de se profitetur. *Ego* (inquit) *sum primus & novissimus* id est inter tot excellentias humilitati apprime addictus, novissimo loco me reponens. Primus, ad oppetenda probra, ludibria, vulnera, mortem. Primus ad impertienda hominibus beneficia : novissimus ad honorifica, ad commoda &c.

Tertio quod dicitur: *similis filio hominis.* Nimirum quod tot & tanta faciens, nihil supra homines habere visus; in omnibus plane, *ad similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

Quæ pariter accuratius expensa, tibimet accommoda.

Colloquium ad Christum, petendo suppliciter, ut sicut olim imagini ad Abagarum mittendæ, suam impressit effigiem, ita etiam se totum tibi, tuæ memoriæ, intellectui, voluntati ac cordi imprimere dignetur : ut sic tibi impressum vitâ & moribus exprimas, semperq; tecum circumferas.

MEDITATIO L.

De zelo Religiosis, ac Societatis etiam hominibus convenienti.

FUndam: Visio S. Petri Actor. 10. *Vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ & volatilia cæli: & facta est vox ad eum: surge Petre occide & manduca.*

Prælud: 1. Consuetum.

Prælud: 2. Pete gratiam veram zeli Religiosi in hac Petri visione agnoscendi effigiem, eamq; in te ipso effingendi.

PUNCTUM I.

Amplitudo zeli quo ad locum.

COnsidera hac visione adumbratam fuisse zeli Apostolici amplitudinem.

Ac inprimis per linteum 4. initiis de cælo submissum intelligi totum hunc mundum in quatuor partes divisum, Europam, Asiam, Affricam, Americam. Ubi adverte zeli apostolici campum debere esse non unam urbem, nec unam Provinciam imo nec unam orbis partem, sed orbem totum: in quo desudandum circa animarum salutem.

Vide an ea in te quo ad locum zeli Religiosi amplitudo? an aliquod pergendi, etiam in Anglias, Indias, Chinas &c. animarum causa desiderium?

PUNCTUM II.

Amplitudo zeli quo ad personas.

COnsidera per varia animalia ac reptilia præfato linteo inclusa intelligi amplitudinem zeli religiosi quo ad personas circa quarum salutem laborandum, scilicet non debere eas esse alicujus generis, conditionis & status, vg Personas nonnisi Nobilium, magnatum, quæ hic per volatilia

tilia cæli, aut excellentiora animalia designantur Præterea non debere esse personas nonnisi amicorum, Benefactorum, consanguineorum & quorumvis aliorum mutuo affectu correspondentium, velut cicura ac familiaria animalcula: sed imo debere esse sine exceptione, absq; delectu absq; discrimine omnes, sive plebeias ac ultimæ sortis, sive inimicas ac ingratas, à quibus non tantum nihil mutuæ benevolentiæ & gratitudinis speres, sed imo velut à serpentibus & viperis, venenatos morsus & aculeos atq; mortes ipsas.

Vide quid in te animi ad talem zelum & mortem ipsam in eo oppetendam?

PUNCTUM III.

Reliqua adjuncta zeli Religiosi.

Considera reliquas hujus visionis circumstantias easq; zelo religioso applica.

Ac inprimis quod hic jubetur Petrus surgere: Nempe ut alium è cæno peccatorum erigas ac sursum eleves, ipse prius assurgas necesse est. Quis enim jacentem eriget si ipse jacuerit. Præterea admoneri hic religiosum, non debere illum esse otio & quieti deditum. Surgat potius, agatq; agenda non quiescat, si illi lucrum animarum cordi est. Nec vero terræ terrenisq; inhæreat, sed toto se assurgat, sursumq; se elevet totusq; sit in cælum ac Deum erectus.

Secundo jubetur Petrus illa tot animalia occidere interficere, non mulcere, fovere, alere, nec percutere tantùm vulnerare, mutilare. Nempe viri vere zelosi est, non blandiri peccatis, non illa demulcere nec quomodocunq; etiam scelera, iniquitates, aggredi: sed imo penitus mactare, eradicare, tollere, ad internecionem delere.

Tertio jubetur eadem ipsa animalia manducare: nimirum virorum zelosorum alimentum esse animarum salutem, mortem vitiorum, labores pro gloria Dei & anima-

bus susceptos: quali alimento Christus usus est, dum diceret: *Cibus meus est facere voluntatem Patris mei.*

Quarto linteum cum prænominato epulo de cælo submissum: nempe cæleste id epulum esse, ad quod viros Apostolicos Deus invitat, illosq; eodem tractat ac saginat: inter innumera alia solatia & delicias.

Quibus omnibus expensis, vide quis in te quo ad prædicta singula sensus, dispositio & praxis?

Colloquium. Gratias refer Deo, quod te ad eam Religionē vocaverit, in qua tam amplū campū habes zeli Apostolici exercendi circa animarum salutem. Confundere & dole, quod ea amplitudine non satis hactenus usus fueris. Offer te ex tua parte Deo si ita divinæ ejus voluntati ac superioribus videbitur ad remotissimas mundi plagas ad disseminandum Evangelium, Offer vitam tuam & sanguinem. Petendo ab eodem Deo: ut tuâ opera & obsequio utatur ad animarum salutem, tum ut tibi ad hoc ministerium impertiatur Spiritum Apostolicum, Spiritum S. Petri Pauli & aliorum: tum Spiritum S. Patris Ignatii, S. Francisci Xaverii & tot aliorum tum aliunde tum è Societate virorum Apostolicorum.

MEDITATIO LI.

De electione status in Religione juxta Regulas electionis S. Patris & tres gradus humilitatis.

FUndam: Jerem: 18. Ubi Dominus ad Prophetam: *Surge & descende in domum figuli & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli & ecce ipse faciebat opus super rotam: & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis. Conversusq; fecit illud vas alterum sicut placuerat in oculis ejus ut faceret. Et factum est Verbum Domini ad me dicens: Numquid sicut figulus*

Iste non potero vobis facere domus Israel ait Dominus. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.

Prælud : 1. Imaginatio ejusdem ipsius.

Prælud : 2. Apprehende eadem visione repræsentari sibi electionem tui status in religione.

Prælud : 3. Pete gratiam, opportunum animæ tuæ, & inprimis gloriæ Dei statum in religione agnoscendi, eligendiq; eundem.

PUNCTUM I.

Considera in hac visione Prophetica ac descensione in domum figuli varia vasa pro suo arbitrio effingentis, alia in honorē alia in contumeliam, adumbrari divinam dispositionem circa homines totius mundi ac præcipuè homines religiosos, ac etiam Societatis, apud quos præsens electio versatur. Electio inquam status in religione: quæ ut rite fiat.

Duplex classis religiosorum ac etiā Societatis circa quam versatur præsens electio.

Expende primo duplicem interim posse cogitari classem hominum religiosorum, ac etiam hominum Societatis nostræ.

Prima classis eorum, quos Deus ducit per humilia, per abjecta, per adversa in Religione: etsi sint plerumq́, magnis talentis, doctrinâ, virtute, & donis Dei instructi. Interim tamen nulla illorum aut modica apud superiores æstimatio, nullus respectus, vix aliqua apud æquales atque inferiores reverentia: non applicantur ad honoratiora munia, non attolluntur, nullus eorum usus, ita ut intra angulum religiosum delitescere ac penè in extrema postpositione & depretiatione sui, inter sugillationes repræhensiones, divexationes, despectus, contabescere cogantur, facti opprobrium & abjectio plebis. Quidquid etiam tales aggrediuntur, quod posset illos apud homines in æstimatione, auctoritate, fama elevare, successum, plausum, in nulla re, in nulla actione & functione obtinent, arcano Dei consilio & dispositione, quod nolit illos habere vasa in hono-

rem ſed in contumeliam, ita ut continuis humiliationibus, & adverſitatibus, ad mortem uſq; exagitentur, immoriantur iisdem.

Secunda claſſis eorum eſt: quos Deus vult habere vaſa in honorem, ac proinde eos ducit per honorifica plauſibilia, proſpera, æſtimationes, plauſus, ſucceſſûs, &c. etſi illi non raro videantur mediocres doctrina, talentis, virtute, religioſitate. Interim tamen gratias habent apud ſuperiores, æquales, non interrupta ſerie promoventur, applicantur officiis. Licetve ſæpius in illis exerrent ac delinquant: id ipſis parum omnino aut nihil nocet, minimè hoc à ſuperioribus videtur apprehendi, excuſantur &c. Quidquid agunt plauſibus reſonat.

Ex his igitur duplicem pariter poſſe aſſignari ſtatum in Religione, ac etiam in Societate: unum humiliationis, depreſſionis, & adverſorum. Alterum ſtatum honoratum, excellentem, ſtatum honoris, præeminentiæ, proſperitatis religioſæ.

Circa hos igitur ſtatus in præſens tua verſabitur electio.

Atq; ita propone tibi ante oculos ſtatum utrumque: & antequam ad alterutrum te reſolvas, offer te indifferenter ſive ad hunc, ſive ad illum divinæ voluntati, ut tecum diſponat ſicut placuerit oculis ejus ut faciat, non aliter quam figulus cum luto vel vaſe ſuo quod effingit: ſive te facere velit vas in honorem, ſive vas in contumeliam.

PUNCTUM II.

Acceſſus ad electionem.

JAm hic conſidera quidnam tibi expediat eligere?

Atq; inprimis adverte ſicut Propheta veniente in domum figuli: *ecce ipſe* id eſt figulus *faciebat opus ſuper rotam*. Ita tibi aggredienti opus ac negotium electionis, qua evadas vas alterutrū ſive in honorem, ſive in contumeliam, non ad aliud proſpectandum quam ad rotam æternitatis:

nitatis: hoc est non ad temporales, sed ad æternas rationes.

Proinde hîc assume tibi expendendam illam regulam electionis. Nempe in electione spectandam esse DEI gloriam, meritum tuum, securitatem animæ salutisq; æternæ. Et si utrumq; sit non sine Dei gloria, non sine merito, illud tamen eligendum, quod sit cum majori Dei gloria, cum majori merito, æternoq; præmio, cum majori securitate animæ tuæ.

Vide hic igitur unde major Dei gloria unde majus tuum meritum, unde major securitas animæ? an ex promotionibus tuis, successibus plausibus, &c. an ex humiliationibus, depressionibus, adversis? Atq; hinc collige quem statum in Societate eligas? Statum ne illum excellentem honoratum: an humiliationis, depressionis, usq; ad mortem?

PUNCTUM III.

Conclusio Electionis.

AD concludendam electionem tuam considera primo. Quod sicut vas permittit se fingi formariq; à figulo ad placitum illius, nec reluctatur quidquam manui se versanti & fingenti. Et si reluctaretur, eo ipso mereretur projici & dissipari. Imo de facto si haberet usum rationis, certe se omnino accomodaret manui & nutui sese fingentis artificis, ipsumq; sese fingeret, formaret, versaretq; ad mentem illius. Ita ut tibi quoq; recte præsens cadat electio: voluntati divinæ, & placito conformes te quantum potes, necesse est. Hanc autem voluntatem perspectam habere poteris, ex voluntate ac dispositione superiorum.

Considera 2dò illud quod in tertio humilitatis modo, in Exercitiis Sancti Patris expresse insinuatur. Nempe quod etiamsi laus Dei par foret, par meritum, par securitas vitæ æternæ ex tui exaltatione, atq; etiam humiliatione: illud tamen deberes eligere, in quo eluceret major imitatio Christi: unde etiam ad majorem ejusdem Christi imitationem expediret tibi eligere, potius cum eo paupere, spreto, illuso, pauperiem, humiliationem, de-

 pressio-

pressionem, contemptum, irrisionem; ita ut etiam pro inutili, pro inepto, pro stulto judicari velles, quàm nescio quæ honorata obire, æstimationes, promotiones, plaususq; obtinere.

Quibus expensis iuxta regulas electionis S. Patris Ignatii, tecum ratiocinare: imo si quis te hac in parte consuleret, quid illi suaderes? Nonne diceres eligendam viam humiliationis, crucis, quam ipse Christus unicè elegit, hacq; viâ perrexit. ado si nunc mors ingrueret, quid tunc eligeres aut velles te eligisse. Pariter in judicio Dei constitutus quid sentires? In purgatorio etiam, quis foret de his in anima tua sensus?

Jam quam frivola sunt, quæ nos ad honorata, & plausibilia sectanda incendunt. Nempe illi humani respectus, breve hinc delectamentum, amor proprius. Quam inánia, quæ nos à via humilitatis & crucis avocant, & deterrent.

Colloquium & affectus ad Christum humiliatum, contemptum, pro stulto reputatum, ad mortem ignominiosissimâ cõdemnatum: Offerendo te illi ad omnia probra, confusiones, humiliationes, illaq; præeligendo honoribus, æstimationibus, plausibus. Atq; simul petendo ab eodem, ut sicut ad id præeligendum te inclinare dignatus est, ita etiam gratiam largiri dignetur ad implendum ac sustinennendum. Conclude aspiratione: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic ego in manu tua.*

MEDITATIO LII.

De Humilitate religiosa.

FUndam: Visio illa Pueri Eliæ 3. Regum: 18. *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari: et facta est pluvia grandis.*

Prælud: 1. Imaginatio hujus ipsius, apprehendendo symbolũ tibi in ea nubecula repræsentari, veræ humilitatis

Prælud.

Prælud : 2. Pete gratiam agnoſcendi eſſentiam, & bona humilitatis, eamq; ſectandi.

PUNCTUM I.

COnſidera in hac nubecula Eliæ adumbrari humilitatem : Non enim habuit ſpeciem & figuram, Leonis, Elephantis, in ſublimè evolantis Aquilæ Non capitis, non manus, ſed infimæ partis, ſcilicet veſtigii hominis.

Obligatio religioſi ad humilitatem.

Ac proinde expende humilitatem, planè eſſe virtutem hominum religioſorum. Tum quod ad illos pertineat, fabricam virtutis, ac perfectionis erigere : fundamentum autem illius eſt humilitas. Tum quod religioſa vita ſit imitatio vitæ Chriſti. In vita autem Chriſti præcipuè eluxit humilitas, ut totam vitam ſingulaq; ejus puncta, ac myſteria conſideranti patebit : ita ut hæc eadem tota Chriſti vita continua humiliatio, continuum humilitatis exercitium videretur. Proinde cuivis religioſo incumbere, ut hanc humilitatis Chriſti imitationem cordi habeat : ita ut pariter tota vita hominis religioſi, ſit ipſa pæne humilitas, perpetuumq; ejus exercitium, atq; ſic in omnibus religioſis actionibus, functionibus, moribus, ac ipſis etiam geſtibus & verbis eluceat. Tum quod etiam S. Pater hanc virtutem nobis ſpecialiter commendaverit, regulisq; ſuis injunxerit, imo quisvis Religionis fundator.

Vide quis in te humilitatis amor & pretium, quod exercitium & praxis ? Excute mores tuos, actiones quotidianas, functiones, converſationes, colloquia, quid nam in illis eluceat magis, humilitas ne an elatio, præſumptio, ſuperbia ?

PUNCTUM II.

Bona & effectus humilitatis & è contra mala ex defectu ejusdem.

COnſidera ex illa nubecula pluviam grandem effluxiſſe, terram tot annis aridam fæcundatam, ut in herbas, flores, fructusq; uberrimos ſeſe propagarit.

Atq; hinc expende non minores nec pauciores humilitatis, proprietates effectus, utilitates fructusq; Spirituales. Ideoq; inprimis ex humilitate omnes pænè virtutes religiosas promanare: Patientiam, obedientiam, paupertatem, charitatem mutuam, ut consideranti singulas virtutes patere poterit. Jam quãta hinc dona Dei supernaturalia, quæ Deus humilibus communicat. Quantum meritum, quantum præmium, & gloria in cælo humilium. Juxta illud: *qui se humiliat exaltabitur*. Quod in eadem nubecula ascendente in sublime videre est: ut non memorem quantos fructus in animabus hominum producat, quam insignia pro gloria Dei efficiat humilitas.

E contra verò expende, qui effectus, quæ mala, defectu humilitatis sequantur? Quæ si in te ipso animadverteris, præsertim parvos, in rebus pro animarum salute & gloria Dei agendis successus, eidem defectui humilitatis religiosæ adscribe & eundem corrige.

PUNCTUM III.

Actus & gradus humilit.

CONsidera in quonam vera humilitas consistat, qui ejus gradus, qui actus?

Ac inprimis id expressum esse in præfata nubecula, quasi vestigio hominis. Quid enim est vestigium esse hominis? nisi omnibus sese partibus hominis submittere & subdi, capiti, manui, imô pedi etiam: in loco se infimo infra pedes ipsos ponere: ad cujusvis partis indigentiam & nutum præsto esse, eo ferri, quocunq; nutus capitis aut necessitas partis cujuscunq; postulaverit, ad terram usq; humiliari, illiq; se imprimere, luto etiam imperio capitis, demergi, commaculari, in sentes in saxa, in offendicula in vulnera, incurrere &c. Nec vero alios esse humilitatis actus.

Tum quod hæc nubecula è mari processerit, atque ita humoribus marinis iisq; salsis, amarisq; saginata, dul-

cem

cem pro his pluviam reddiderit. Eámq; planè humilitatis proprietatem esse, amara quæq; perferre & dulcia reponere.

Insuper adverte unde hæc nubecula genus & originem duxerit, nempe non e rivulo, non è lacu sed ex oceano. Interim tamē quasi suæ originis generisq; oblita, ad formam se fingit unius vestigii. Et hic ipse insignis actus humilitatis ?

Jam vero alii actus ejusdem humilitatis, aliæq; humiliationes quam multæ ? scilicet in cogitatione, in verbo, in opere.

Tandem ille etiam triplex gradus humilitatis: scilicet indifferentem esse, sive ad honorifica sive ad humilia: atq; hinc ferre æquanimiter eadem humilia & abjecta, omnes humiliationes &c. 2do. gaudere de illis obvenientibus: 3. Desiderare easdem ardenti animo.

Quibus expensis, vide an tua humilitas ita sit exacta ?

Colloquium & affectus ad Christum & Beatissimam Parentem præcipuos humilitatis cultores, petendo ab illis, ut te ejus virtutis, plenissime participem efficiant.

MEDITATIO LIII.

De vita Religiosa, votis, & regulis conformi.

FUndam: Visio Ezech: cap: 40. *In visionibus* (inquit) *Dei adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium Civitatis. Et ecce vir, funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus.*

Prælud: 1 Hujus ipsius imaginatio cum apprehensione, eadem visione, vitam tibi religiosam, votis, & regulis conformem exhiberi.

Prelu: 2. Pete gratiam agnoſcendi commoda, & fructus, ex adimpletione votorum ac regularum provenientes, eademq; vota ac regulas, defacto adimplendi.

PUNCTUM II

Fructus observantiæ regularum & votorum.

COnſidera per hanc viſionem Propheticam adumbrari vitam Religioſam, votis & regulis conformem. Per montem ſcilicet excelſum ipſam religionem. Per ædificium Civitatis, ædificium & ſtructuram Spiritualem, ſtructuram Sanctimoniæ ac perfectionis religioſæ, cuius fundamentum diximus humilitatem, alias autem virtutes, aliarum ædificii partium, vices agere. Jam vota habere ſe per modum funiculi fabrilis ſeu architectonici: cùm & votis quaſi funiculo triplici adſtringamur. Regulas per modum calami, menſuræ.

Tum mala defectu ejusdem.

Unde expende inprimis utilitates & emolumenta funiculi & calami menſorii. Nempe illis deberi omnem rectitudinem, proportionem, venuſtatem, ſymmetriam, firmitatem, ſtabilitatem ſtructuræ cujusvis: ita ut nihil curvum, nihil diſtortum, nihil improportionatum, nihil deforme, applicatione ac beneficio funiculi & calami, in ædificio inveniri poſſit.

Jam è contra, neglectu eorundem, quot mala, mancamenta, quot deformitates, quot improportiones, quam nihil firmum, nihil ſtabile, omnia caſui & ruinæ proxima.

Atq; hinc ſimile quid devotis ac regulis cogita. Nempe quænam bona, commoda, emolumenta illorum obſervatione, & quæ mala, damna, ac ipſæ ruinæ eorum neglectu ſequantur.

PUNCTUM II.

In quo conſiſtit obſervãtia votorum.

COnſidera ſicut funiculũm & calamum menſorium, ut ſit utilitati & commodo, debere eſſe exactum, in nullo deficientem: ita etiam votorum ac regularum non

diffi-

dissimilem observantiam: ut per illa non humilis in nobis virtutis ac perfectionis provehatur fabrica.

Atq; hinc expende in particulari, in quonam consistat hæc eadem votorum inprimis observatio exacta? sumendo initium à voto paupertatis; atq; expendendo: Quid sit verè & exactè esse pauperem? Nimirum non tantum nihil habere proprii & sine facultate, sed etiam defacto experiri paupertatem, indigentiam & defectum in victu, amictu, aliisq; rebus ad vitam necessariis. Jam qui defectus possint esse contra paupertatem religiosam? Tum etiam qui defectus in petenda & obtinenda facultate?

Post quorum accuratam considerationem. Expende adò expendenda circa castitatem. Nempe quid sit castitas religiosa, quanta illius excellentia, meritum & præmium? Quam à nobis religiosis quivis Fundator ac etiam S. Pater Ignatius castitatem requirit? Nimirum Angelicam. Qui defectus contra eandem evenire possint cogitatione, verbo, & opere?

Tandem expende expendenda circa obedientiam. Inquo pariter illa consistat? Quæ illius, excellentia? Quæ utilitates & fructus? Quam à nobis obedientiam, regulæ & Fundatores exigunt? Nempe juxta S Patrem nostrum Ignatium, obedientiam non tantum voluntatis sed etiam intellectus. Præterea ut simus in obediendo tanquam cadaver, aut senis baculus, Tandem qui defectus contra eandem esse possint, & defacto à te committi soleant?

PUNCTUM III.

Præstãtia instituti Societatis nec non cujus cũq; Religionis, & obligatio implendi illud.

Considera excellentiam instituti ac regularum Societatis.

Ac inprimis per virum, funiculum & calamum mensorium in manu tenentem intellige S. Patrem Ignatium inventorem & exactissimum artificem, prædicti funiculi & calami, tum peritissimum architectum fabricæ spiritualis.

Atq; vel hinc æstima hoc ipsum institutum & regulas ejusdem Societatis nostræ, calamo mensorio denotatas: quarum nempe idem S. Pater ex omnibus religionibus delectum fecit, ita ut quidquid in aliis institutis invenisset singularissimum, hoc totum assumpserit, instituto inseruerit, insuperq; addiderit.

Adverte præterea circa hunc calamum mensorium scilicet institutum, singulari diligentia & illuminatione divina laborasse, ac proinde quoad omnia exactissimum esse nec in quoquam deficere. Imo summam in eo perfectionis Religiosæ includi, ita ut Gregorius 13. pronuntiaverit, se illum Sanctorum catalogo, sine ullis aliis inquisitionibus & allegatis, annumeraturum illico, de quo constaret, Regulas easdem exactè ad amussim implevisse.

Considera 2dò non obligari nos quidem ad observantiam regularum ex mente S. Patris sub peccato etiam veniali. Interim tamen ex multis circumstantiis, illarum transgressionem raro esse sine peccato. Quamvis enim nullum foret peccatum in earum ipsarum transgressionibus; ex eo tamen, quod per illarum neglectum, multis sponte privemur bonis, meritis, gratiis & donis supernaturalibus, ac præcipuè tam efficacibus mediis ad perfectionem, id ipsum sat mali esse. Et defacto si quis exstruendo aliquam fabricam, negligeret usum calami mensorii certè multum exerraret, multaq; vitiosa committeret, nec minus rectitudini ædificii obesset, ruinæq; potius quam perennitati ædificaret. Nec vero aliter de neglectu instituti ac regularum quo ad ædificium spirituale intelligendum. Vide quis in te in hac parte, defectus?

Quoad autem instituta aliarum Religionum? ad hæc facile prædicta applicari poterunt ex vi adjunctorum cujuscunq; Religionis, ut consideranti patebit.

Colloquium & affectus gratiarum actionis pro tam efficacibus ad virtutem & perfectionem subsidiis ac mediis. Tum affectus doloris de tot votorum ac regularum transgressio-

gressionibus. Tandem conclude supplicatione ad S. Patrem, & ad triumphantem Societatem, aut etiam ad quemvis Fundatorem, ut tibi, totiq; religioni militanti, impetret exactam eorundem votorum ac regularum observantiam.

MEDITATIO LIV.

De conjungenda doctrina cum Spiritu & Religiositate.

FUndam: Zachar: 4. *Vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus super caput ipsius.*

Prælud: 1. Hoc ipsum imaginare, & applica doctrinæ, ac religiositati.

Prælud: 2. Pete gratiam conjungendi doctrinam cum Spiritu & religiositate, expensis hujus conjunctionis emolumentis.

PUNCTUM I.

Exigentia & obligatio hujus conjunctionis.

COnsidera per hanc visionem, adumbrari conjunctionem doctrinæ cum Spiritu. Per candelabrum autem aureum intelligi virtutem & sanctimoniam, Charitatem DEI & proximi, Per lampadem supra caput ejus expositam, doctrinam ac scientiam.

Hanc autem ipsam conjunctionem exigere, à nobis Sanctum Patrem nostrum Ignatium, qui ad utriusq; hoc est doctrinæ ac religiositatis possessionem, tot nobis media & opportunitates providit, nec providere per suam religionem, ejusq; superiores desistit. Exigere rationem instituti nostri, quo nobis id specialissime non semel commendatur. Exigere vocationem nostram; quo enim nostra vocatio à secularibus, tantopere in studia incumbentibus, imo ab Ethnicis illis sapientibus differret? Exigere finem instituti nostri: Nimirum procurationem salutis

nostræ & alienæ, tum majoris gloriæ Dei: quid autem soli doctrinæ absq́, Spiritu ad ista? Exigere essentiam ac substantiam Religiositatis, quæ in virtutis & sanctimoniæ studio consistit, in tribus votis religiosis, in observatione Regularum &c. Exigere rationem meriti & præmii æterni. Quod enim meritum & præmium solius scientiæ? Exigere tandem securitatem salutis animæ nostræ ac rationem conscientiæ. Cujus enim periculosior status quàm eorum qui soli doctrinæ vacant, neglecto spiritu ac virtute?

Expende vero similes quoq; in aliis Religionibus reperiri exigentias prædictæ conjunctionis, uti facile considerando advertes.

Vide ut his exigentiis ac tibi ipsi inprimis hac in parte satisfacias.

PUNCTUM II.

Emolumenta ex conjunctione utriusq; & detrimenta ex neglectu ejusdem.

COnsidera primo emolumenta ex conjunctione utriusq; scilicet doctrinæ cum spiritu.

Nimirum in primis sicut tam candelabro à lampade, non exiguum splendoris & lucis quam lampadi à condelabro præsertim aureo non parum æstimationis accedit ac pretii: ita ut candelabrum sine lampade non luceat, & lampas absq; candelabro non tanti æstimetur: nec bene ac solide subsistat. Ita etiam eodem planè modo se habet doctrina ad spiritum, & spiritus ad doctrinam: Nempe quod virtutem ac Spiritum doctrinâ illustriorem, virtus doctrinam coram Deo & Angelis æstimabiliorem, solidioremq; reddat.

Præterea ista vicissim se juvant in omni actione & functione Religiosa plurimumq; utraq; prosunt ad finem nostrum, nempe ad promovendam Dei gloriam, conversionem animarum, hæreticorum, Ethnicorum. Quonam enim alio hi convertuntur efficacius, quam scientiâ & sanctitate nostra.

Insu-

Insuper quod Deus benedicit specialius nostris functionibus, laboribusq; pro sua gloria susceptis, si in illis doctrinæ Spiritus adjungatur.

Tandemq; sicut candelabrum lampadem sustentat, ita virtus doctrinam, ne in ruinam & baratrum præsumptionis elationis &c. labatur.

Jam considera 2dò damna ex defectu conjunctionis istius.

1mò quod scientia absq; virtute, non tantum non prodest sed obest homini Religioso, quia inflat: erigendo multos in superbiam, præsumptionem, despicientiam & postpositionem aliorum.

2dò. Quod etiam obsit fini nostro, nempe conversioni animarum. Quid enim esset, homines convertere doctis argumentis, & pervertere malo exemplo.

Tertiò quia Deus ob defectum virtutis, etiam Scientiam subtrahit: nempe in malevolam animam non introibit Spiritus sapientiæ.

Quartò. Quia doctrina sine spiritu est proximum ruinæ extremæ principium. Hinc novimus quam multos doctrina absq; virtute, in multa scelera, Apostasias, infernum præcipitaverit.

Quintò. Quia nostris functionibus, & actionibus Religiosis, concionibus præsertim, parum Deus benedicit, modico lucro animarum sequente: si in illis solius doctrinæ scientiæ fumos, & vanitates captamus. Hinc ex talibus nostris functionibus exantlatisq; laboribus, meriti & præmii loco, tot demerita, tot remorsus conscientiæ in morte, post mortem autem pœna purgatorii gravior & productior.

PUNCTUM III.

Plus Spiritus ac Religiositas quā doctrina æstimanda.

COnsidera sicut candelabrum (uti ordinarie) hic præcelluit, magnitudine, & pretio ut pote aureum lampadi: ita quoq; sanctitas debet pluris esse, quam doctrina,

na, debetq; magis abundare quàm scientia, ideoq; de illa potius quam de hac laborandum, sicut cuidam nimium se ad studia applicanti S. Pater Ignatius inculcabat. : *Plus* (inquit) *de Spiritu*: unde præeligendam potius iacturam doctrinæ, quam vel minimum detrimentum in Spiritu. Hinc P. Franciscus Suarez dicebat se malle, omnis scientiæ suæ jacturam perpeti, quam horam meditationis negligere. Novimus præterea non paucos, qui etsi minus de doctrina habuerint, quia tamen Religiositate præcelluerunt, ideo plurima pro Dei gloria eos egisse, plus longè quam illos, quos magna doctrina fecit conspicuos.

Considera hac ipsa de re Regulam summarii 16.

Colloquium & affectus ad Incarnatam sapientiam, eandem summâ Sanctimoniâ præcellentem, habendo eidem gratias, quod tuam Religionem utroq; exornaverit. Tum petendo ut eandem in utroq; conservet.

MEDITATIO LV.

De vita pacata in Religione.

FUndam: Apoc; 7. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram, neq; super mare- neq; in ullam arborem.*

Prælud: 1. Hujus ipsius imaginatio, cum applicatione illius ad pacem vitæ Religiosæ.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi bona & emolumenta vitæ pacatæ in Religione, tum adinveniendi media ejusdem obtinendæ & conservandæ.

PUNCTUM I.

Religio Locus pacis.

Considera in hac visione adumbrari vitam pacatam in Religione.

Atq; inprimis expende Religionem sicut debere esse conti-

continuam militiam & luctam, cum mundo, carne, diabolo; ita è contra, debere esse pacem & tranquillitatem profundam hominis religiosi, in anima & conscientia. Hinc è mundi tumultibus, ideo nos ad statum Religiosum pedem transferre; ut pacem inibi inveniamus ac possideamus, Ideoq; B. Aloysius Gonzaga, portam prætergressus Religiosam, illud affectuosè protulit: *Hic requies mea.*

Expende autem 2dò, duplicem hanc pacem debere esse, externam & internam: Internam cum semetipso: externam cum aliis: eamq; esse omnium bonorum in Religione fontem, ita ut Religiosos Angelos, Religiones cælum efficiat, omnia aspera & adversa dulcoret. E contra defectum utriusq; pacis, omnium malorum esse principium & causam, ac etiam egressûs è Religione, aut etiam extremi fastidii ac desperationis.

Complace tibi in hac utraq; pace religiosâ.

PUNCTUM II.

COnsidera per quatuor ventos intelligi, indomitas passiones præsertim iræ: Appetitus immoderatos, ambitiones vanitatis mundanæ, præeminentiæ, honorificarum functionum, æstimationis, inanis gloriolæ, effusioris conversationis, gratiarum apud externos & domesticos. Itemq; ventos superbiæ, elationis, præsumptionis, loquacitatis. Utiq; enim tumente bucca, ventus depingitur. Hasq; esse præcipuas causas inquietudinis ac perturbationis Religiosæ, tam externæ quam internæ. Quod enim venti in terra, in arboribus, in mari etiam tranquillissimo efficiunt: hoc prædicti appetitus & passiones in homine ac in tota Religiosa communitate. *Causa inquietudinis.*

Vide an non etiã in te similes inquietudinum causæ?

PUNCTUM III.

COnsidera 1mò. Quænam sint media ad obtinendam & conservandam pacem hanc Religiosam? Nimirum non *Media pacis.*

alia

alia efficaciora, quam si exemplo Angelorum Apocalipticorum nosmet conformemus.

Ac primo sicut illi *erant stantes super quatuor angulos terræ*, ita & nos elevemur animo super omnia terrena.

Secundo sicut illi erant *tenentes quatuor ventos ne flarent*, ita si nos quoq; hos eosdem ventos effrenes, id est passiones, appetitus, ambitiones, loquacitates immoderatas, &c. manu teneamus: aut extirpemus penitus, in manus Dei, ac superiorum voluntatem totaliter resignati. Tum humilitati, silentio &c. sincerè addicti, non minus verò solitudini religiosæ sedendo *in angello cum libello*, uti quoq; prædicti Angeli dicuntur super angulos stantes.

Imò si ipsimet fuerimus Angeli, si Angelica vitâ & moribus vixerimus: Certe enim in Angelos nulla turbatio & inquietudo cadere potest.

Atq; hinc considera 2dò sicut Angelicum esse ventos ac tempestates manu tenere, hoc est pacem in omnibus fovere religiosam tum intra se tum intra alios: huic eidem paci contraria impedire, omnes inquietudinum causas ac incentiva prohibere: ita diabolicum hisce ventis frena laxare, ora illorum diducere, eosdem commovere? Certe enim ultimæ farinæ & fortis dæmon ex quopiam prorumpens angulo, ad unius vetulæ præstigiatricis nutum, nescio quas tempestates concitare potest, totum pæne conturbare mundum. Jam Angelorum est orbem pacatum reddere, omnia componere ac serenare. Unde Apoc: 6. non bonus ille Angelus ab Auctoribus fuisse dicitur: de quo ibidem: *Exivit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant: & datus est gladius magnus.*

Vide an ex numero talium Angelorum existas? an Angelus pacis dici merearis?

Colloquium & affectus ad Christum qui Joannis 14. dixit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Petendo ab eodem Christo, ut planè non alterius, non mundanæ, sed suæ pacis, te efficiat participem.

MEDI-

MEDITATIO LVI.

De vita circumſpecta in Religione.

FUndam: Viſio Joannis Apoc: 4. ubi *vidit quatuor animalia plena oculis, ante & retro, & in circuitu & intus.*

Prælud: 1. Idem quod ordinariè.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoſcendi neceſſitatem vitæ circumſpectæ eamq; ſectandi.

PUNCTUM I.

Neceſſitas circumſpectionis in Religione.

COnſidera per hanc viſionem adumbrari vitam circumſpectam. Quid enim aliud tot oculi in animalibus denotant, quam eximiam circumſpectionem in omnibus.

Atque hinc expende nulli magis hac eadem circumſpectione opus eſſe, quàm hominibus Religioſis, ac etiam noſtræ Societatis: in quos tanquam in ſpecula conſtitutos, verſi ſunt oculi totius mundi: ita ut ſpecialis ſit animadverſio in omnes eorum actiones, mores, geſtus, compoſitionem externam. Hinc illæ cryſes, cenſuræ, apprehenſiones, exaggerationes, evulgationes minimorum quandoq; defectuum. In aliis trabalia diſſimulantur, occultantur, non apprehenduntur, latent: Religioſorum lapſus orbi propalantur illico, in publicis conſeſſibus proferuntur, excutiuntur, exaggerantur. Ita ut verba etiam noſtra, cum vento non effugiant, ſed quam primum in conſiderationem veniant, annotentur pugillaribus, Regibus etiam deferantur.

Jam intra noſmetipſos, intra domum, quanta in ſingulos animadverſio tot ſuperiorum, officialium, æqualium, inferiorum. Hinc regula delationis, hinc illæ tam exactæ tam frequentes circa unumquemq; informationes, literæ

superiorum, officialium ad altiores superiores. Hinc illi ex instituto deputandi in singulis domibus, qui defectus aliorum consulto observent, ac superiori deferant. Hinc in Religione nostra modestiæ Regulæ, corporis totius exactam compositionem spectantes.

Vide & apprehende ex his omnibus necessitatem circumspectionis: Et si hæc fuit in illis quatuor animalibus, hoc est Angelicis & Cherubicis Spiritibus nulli errori ac nævo obnoxiis, præterea ante thronum DEI, ubi nulli zoili & crises: Quanta in nobis ejusdem circumspectionis necessitas? inter tot Catones & errores quibus obnoxii ex natura sumus.

PUNCTUM II.

Qualis circumspectio necessaria.

COnsidera qualisnam debeat esse hæc circumspectio? nempe quam maxima: ita acsi toti pleni oculis ante & retro, & incircuitu & intus essemus.

Hinc adverte duplicem nos debere habere circumspectionem. Nimirum circumspectionem ad extra, & ad intus. Ad extra inquam, hoc est quo ad nostras extrinsecas actiones, functiones, mores externos, gestus, motus, alloquia, conversationes cum nostris cum secularibus. Præterea quo ad usum sensuum exteriorum visûs auditûs gustûs &c. Hinc prædicta animalia dicuntur habuisse oculos in toto corpore, hoc est in capite, fronte, vultu toto, manibus, pectore, pedibus &c. Ac sic nos etiam, quo ad omnia membra necesse est, circumspectos esse. Jam ad intus, idest quo ad nostras passiones & inclinationes intimas, quo ad appetitus sensus motusq; internos, imo cogitationes etiam.

Rursus hos oculos circumspectionis debere esse ante & retro: hoc est non tantum habendo nos circumspectè & cautè ad ista, quæ præ oculis sunt, quæ aguntur, sed etiam ad ista, quæ retro sunt, quæ sequuntur; ipsas etiam re-

respiciendo sequelas & consequentias, quas post se hoc vel illud, quod interim agimus trahere, aut aliquis alius de nobis & de tota Religione easdem subinferre potest.

Item ex eo debere nos habere oculos ante in circuitu & post: Scilicet eam circumspectionem & cautelam servando non tantum initio actionum nostrarum, sed etiam in progressu, in medio, in decursu, in fine, ne in illas quocunq; modo error ac defectus quispiam irrepat.

Tandem debere esse ideo hos oculos in circuitu, hoc est observandas circumspiciendas omnes circumstantias, in quibus aliquid agimus, loquimur: Circumstantias inquam loci temporis, officii, personæ meæ alienæ &c.

Vide an hæc & talis hactenus apud te fuerit in omnibus circumspectio?

PUNCTUM III.

Considera bona & effectus vitæ circumspectæ: Tum etiam mala defectu ejusdem circumspectionis. Bona inquam & mala nobis & Religioni provenientia.

Bona vitæ circumspectæ mala defectu ejusdem.

Quo ad primum nempe quo ad bona & fructus? Hæc in ipsis quatuor animalibus patuere: nam illa apud Ezechielem currui gloriæ DEI admota, postquam ibi se insigniter ad plausum cæli gessere, ut ibidem à Propheta describitur, postea Apoc: 4. usque ad thronum DEI velut in præmium admissa.

Jam ex parte nostra, circumspectionis fructus esse: Vitam in omnium oculis exemplarem, pacatam, laudabilem, alienam à censuris, linguis, erroribus, defectibus, scandalis, infamiâ. Inde bonum cujusq; nomen, fama integerrima ac pretium totius Religionis, major DEI gloria, proximorum ædificatio, uberiores animarum proventus.

Jam defectu illius quot mala? Nempe tot errores defectuositates in verbis operibus actionibus, tot inordinationes, materiæ censurarum, scandali, infamiæ, linguarum:

 offen-

offensiones domesticorum, externorum, Principum Magnatum, persecutiones Religionis, perturbationes domus, vita inquieta cum superioribus æqualibus, cum semetipso.

Quibus expensis: reflecte te an non similia mala in te & per te defectu circumspectionis tibi & Religioni evenerint?

Colloquium ad Christum, petendo ab eodem per velatos ejus oculos donum circumspectionis in omnibus. Tum ad Angelos custodes, pariter ab iisdem petendo: ut te in omnibus ita dirigere dignentur; ne verbo etiam ad lapidem scandali vel infamiæ, alicujusvè justæ censuræ offendas.

MEDITATIO LVII.

De Intaminata vita activa, seu conversatione hominis Religiosi inter externos.

FUndam: Visio Moysis Exod: 3. *Ubi apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet & non combureretur: Dixit ergo Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus? Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi & ait: Moyses: Moyses: Qui respondit adsum: At ille: Ne appropies inquit huc: Solve calceamenta de pedibus tuis: Locus enim in quo stas terra Sancta est.*

Prælud: 1. consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi pericula vitæ activæ, eaque evadendi.

PUNCTUM I.

Vita activa obnoxia periculis.

COnsidera ex una parte rubum illum Mosaycum totum igne & flamma circumdatum. Ex altera hominem Re-

Religiosum vitæ activæ deditum, tot occasionibus, tot pe-r'culis animæ velut flammis circumseptum. O quot religiosi his ignibus arsere! O quam non una religiositas inter hos ignes in cineres & favillas abiit, aut saltem fumo hujus mundanæ flammæ infuscata!

Vide an non & tu aliquid saltem contagionis ex hac vita activa contraxeris?

PUNCTUM II.

COnsidera ex una parte illum rubum inter ignem & flammam constitutum & tamen incombustum integerrimum, ac proinde inter magnas visiones relatum. Ex altera parte hominem religiosum vitæ activæ deditum, totum inter conversationes ac pericula ejus vitæ existentem, nec tamen ullius noxæ conscium, integra conscientia ac religiositate pollentem, atque sic magni ad instar spectaculi ac prodigii habendum. Quid enim ultra hoc singularius, quid cælesti etiam spectaculo dignius? Si cuipiam fuerat acclamatum: *vicisti, vicisti! quia in flammis fuisti & non arsisti!* tanto solennius homini Religioso in vita activa extra ullam jacturam & noxam versanti acclamandum.

Par prodigio vita activa intaminatè transacta.

Vide an & tu inter similes visiones dignus es referri?

PUNCTUM III.

COnsidera ex una parte quonam modo rubus ille inter flammas conservatus? Nempe id fuisse non sine prodigio non sine speciali DEI concursu. Insuper quod ibi DEUS ipse rubo præsens adstiterit.

Media adversus vitæ activa discrimina.

Atque ita etiam ex altera parte hominem Religiosum vitæ activæ deditum non alia ratione conservari posse, quam speciali gratia DEI. Unde in tali casu non sibi fiden-

deadum, quia talis fiducia multo periculosior, sed soli DEI gratiæ.

Inprimis vero curãdum homini Religioso, ut DEUM semper præsentem habeat, nunquam illum ab oculis à mente excludat, semper eum cogitet.

Ac demum in omnibus conversationibus non mollis flos, non delicatum lilium, sed rubus sit spinis armatus ac instructus adversus omnem quamcunque mollitiem, severiori modo agendi utens, non delicato, non molli, non nimis affabili & leni.

Adverte etiam quod Moyses ad hunc rubum accedere non permissus: *Ne appropies.* Item præmonitus ut accessurus deponeret calceamenta. Insuper intimatum ei, quod terra sancta illa fuerit, in qua rubus ille steterat. Et hinc primo disce non nimis appropinquandum secularibus, nec semper permittendum ut nobis illi appropinquent. Secedendum ab illis quandoque. 2dò Ut longe simus ab illis, qui habent calceamenta, id est affectus & parvos habitus non depositos. Tandem apprehendendum, quod in terra sancta simus constituti, hoc est Religiosi, DEO dicati.

Ut non omittam, quod rubus ille non in Civitate, non in concursu hominum, sed extra homines in solitudine fuit constitutus. Sic Religiosus ad solitudinem sæpius se referat.

Præterea rubus significat mortificationem, pænitentiam: & hæc summopere hominibus vitæ activæ deditis necessaria.

Præterea erat humilis rubus, non elata Cedrus, pinus, abies: Scilicet talibus declinanda superbia, sectanda humilitas.

Expende ista & vide ut in te exprimas & observes.

In colloquio despera de tua omni circumspectione & cautela. Implora divinam gratiam & auxilium, sine quo nulla est omnis circumspectio. Implora SS. Angelorum tute-

Tutelarium custodiam, ut ipsi *in manibus suis portent te, ne forte offendas ad lapidem.* Conclude oratione Ecclesiastica: *Custodi nos quæsumus Domine propitiatione perpetua : & quia sine te labitur humana mortalitas : tuis semper auxiliis, & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur.*

MEDITATIO LVIII.

De Cura minimorum.

FUndam: Apoc: 6. *Ecce equus niger, & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua : Et audivi tanquam vocem : Bilibris tritici denario &c.*

Prælud: 1. consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi pondus minimorum tam ex parte virtutis, quàm ex parte offensæ DEI.

PUNCTUM I.

COnsidera in hac visione adumbrari posse curam minimorum : nimirum per sessorem equi Apocaliptici tenentem stateram, intelligendo Angelum ponderantem hæc minima. Per bilibrem tritici denario æstimatum, pretium minimorum eorundem.

Hinc tamen expende : aliud esse pondus & pretium minimorum apud nos homines, aliud apud DEUM & Angelos.

Parva æstimatio minimorum apud homines.

Inprimis enim minima ex parte virtutis se tenentia, apud nos levis ponderis, parvi pretii meriti & præmii. Unde tantæ illorum omissiones, neglectus, vili æstimationes, modicæ aut nullæ super illa reflexiones.

Jam apud DEUM è contra magni illa esse pretii, meriti & præmii; cum ad ea ponderanda Angelico etiam ministerio utatur : accedente præsertim intentione, eadem mini-

minima sublimante. Uti id ipsum patet ex bilibre tritici, cujus modica quantitas, & tamen denario, magno utique pretio æstimata, prout explicatur apud Commentatores.

Quod autem ad minima tenentia se ex parte vitii? Hæc pariter apud nos levis ponderis, modici aut nullius demeriti: Hinc tam frequentes tamque faciles illorum commissiones, tam prompti in eadem lapsus.

Aliter vero in divina statera illa ponderari, aliter apud DEUM de illis judicari ac decerni. Rationem vero hujus ipsius expende. Quia scilicet alia statera est apud nos, alia apud DEUM. Apud nos multum erronea: nimirum ipsemet intellectus errori obnoxius, secundum intuitum oculorum judicans. Præterea statera eadem à passione depravata: deceptioni subjecta. Ita ut plane hic locum habeat, quod Psaltes ait: *Mendaces*, inquit, *filii hominum in stateris.* Secus statera apud DEUM, à quo procul omnis error, passio, deceptio, judicium ab intuitu oculorum dependens.

Insuper DEUS est ponderator non tantum rerum & actionum externarum, sed etiam intentionum, affectuum, desideriorum, spirituum, respiciendo ac ponderando non tam quantum, quàm potius ex quanto: quanto, inquam spiritu, affectu, intentione? *Spirituum* (inquit Scriptura) *Ponderator est Dominus.*

Quibus expensis vide qualis stateræ apud te usus? circa utraque minima?

PUNCTUM II.

Bona ex cura minimorum ex parte virtutis se tenentium, mala ex neglectu eorundem.

Considera minima ex parte virtutis sese tenentia, habere se non per modum alicujus ignobilioris sementis, ut avenæ, hordei &c. Sed per modum tritici. Unde sicut ex una parte in tritico etsi hoc modicis granis constet, si tamen hæc accumulentur magnam copiam & abundantiam efficiunt. Ex altera parte: Si ista accumulatio modicorum

rum granorum negligatur, ita si quis sæpius sæpiusque ea sibi abripi in modica licet quantitate, interire, dissipari patiatur, profectò magni hæc ei jactura constabit. Et certè quisnam dum metit triticum, singulas etiam spicas sæpius consultò omittat? Ita proinde de minimis ex parte virtutis se tenentibus sentiendum.

Unde hic expende bona inprimis, & emolumenta, ex cura eorundem minimorum, ex parte virtutis se tenentium, Tum etiam mala & damna ex neglectu eorundem.

Quo ad Primum? Tot nempe ex hac cura, lucra spiritualia, tot merita, tot gradus gratiæ, tot incrementa sanctitatis, adeoq; tantam gloriæ æternæ accessionem sequi. Præsertim quod tam frequens & pæne continua illorum sit occasio & opportunitas, adeoque frequens admodum lucrum spirituale, quæ frequentia lucri, magnitudinem ejus efficit notabilem: præcipuè si (ut dixi) accedat intentio, hæc minima sublimans. Præter hæc quod DEUS per talia hominem disponat, ad insignia pro sua gloria & salute animarum facinora, adeoque lucra ac merita, suaque dona eximia. Insuper vero quod etiam in minimis non postremi actus heroici exerceri possint.

Quo ad Secundum? hoc est quo ad mala & damna ex neglectu minimorum talium provenientia? hæc nimirum nec pauca, nec levia esse; Scilicet tot inprimis jacturæ meritorum, gratiarum, adeoque & præmii æterni. Hinc grave DEI judicium ob intermissas tot occasiones augendi meriti, gratiæ, & gloriæ cælestis. Præter hoc quod se talis negligens privet, ac indignum faciat magnis DEI donis, ob curam minimorum talium exactam, à DEO dari solitis.

Vide quod in te quoque sive bonorum, sive malorum, ex cura vel neglectu minimorum eorundem experimentum?

PUNCTUM III.

Bona ex fuga minimorum ex parte vitii se tenentiū, mala ex neglectu ejusdem.

COnsidera minima ex parte vitii se tenentia habere se per modum zizaniorum. Unde sicut ex una parte quis id levi æstimet? Si zizania sæpius sæpiusque admisceantur tritico: Quæ etsi quoque grani minoris sint: si tamen multiplicentur grande nocumentum afferunt: Ex altera parte si ab illis omnino depuretur triticum, multum illi pretii ac æstimationis, tum Patrisfamilias emolumenti accrescet. Ita pariter de minimis ex parte vitii se tenentibus reputandum.

Unde hîc expende Bona inprimis & emolumenta, ex fuga eorundem minimorum, ex parte vitii se tenentium. Tum etiam mala & damna ex eorum admissione & lapsibus in eadem.

Quoad Primum? Scilicet quo ad bona ex fuga eorundem minimorum? Hæc inter alia esse: Puritatem conscientiæ & nitorem specialem, DEO tantopere gratum, & magnis DEI donis, in hac vita remunerari solitum. Tum difficultatem prolabendi in graviora: Immunitatem à pænis purgatorii, felicitatem & tranquillitatem mortis affuturæ sine ullo remorsu conscientiæ non raro ob hæc minima perturbari solitæ.

Jam ex eorum commissione quot mala? Nempe puritatis conscientiæ non levis ex multitudine horum levitatum commaculatio. Facilitas prolabendi in graviores defectus inde contracta. Obstructio fontis gratiarum & donorum DEI. In morte perturbatio. Post mortem pænarum purgatorii accessio non modica, quia per tam frequentes levium commissiones: Hinc illud: *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei circumdabit me.*

Examina hic tuos hac in parte neglectus, præsertim transgressiones minorum Regularum, ac inprimis modestiæ aliarumque.

Simulque adverte ponderatorem horum minimorum in

in tritico repræsentatorum equo insedisse. Nempe sicut ex æqua & recta eorundem ponderatione, æstimatione, & usu, celer est cursus ad perfectionem virtutis, ad magnam congeriem meritorum, ad nobile præmium & gloriam insignem in cælo, ita ex iniquo pretio & negligente ipsorum cura, cursus non minus celer ad ruinam & demeritum & exitium. Proinde vide in quonam & tu cursu & statu versaris?

Colloquium & affectus doloris de intermissis ex neglectu minimorum tot occasionibus meriti & præmii. Tum petitionis gratiæ, ad minima ex parte vitii fugienda.

MEDITATIO LIX.

De Provisione annonæ spiritualis in futuram vitam.

FUndam: Visio Pharaonis Gen: 41. Simulque interpretatio ejusdem. *Somnium Regis unum est. Quæ acturus est DEUS ostendit Pharaoni. Septem boves pulchræ & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt. Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues & vento urente percussæ, septem anni venturæ sunt famis. Qui hoc ordine complebuntur. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti, quos sequentur septem anni alii tanta sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram, & ubertatis magnitudinem, perditura est inopiæ magnitudo. Nunc ergo provideat Rex virum sapientem & industrium & præficiat eum terræ Ægypti: qui constituat præpositos per cunctas Regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis congreget in horrea; & omne frumentum sub potestate Pharaonis condatur, serveturque in urbibus. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopiâ.*

Præsud. 1. Ordinarium cum apprehensione, supra dictâ visione repræsentari annos vitæ Religiosæ, annis illis Ægypti non dissimiles.

Prælud: 2. Pete gratiam succurrendi maturâ provisione annonæ spiritualis, in annos vitæ religiosæ sequentes.

PUNCTUM I.

Anni fertilitatis, & anni sterilitatis in vita religiosa.

CONsidera primò somnium Pharaonis de bobus & spicis supra descriptis. Tum quidnam hæc visio significaverit? Nempe juxta interpretationem Josephi Patriarchæ annos inprimis ubertatis. Deinde annos sterilitatis.

Considera secundo non tantum in Ægypto seculi, sed etiam in terra promissionis scilicet in Religione reperiri annos similes: annos scilicet fertilitatis, ac deinde sterilitatis annos.

Primi anni Religiosi in tyrocinio præsertim, anni fertiles pleni, formosi, pingues? Pleni inquam fervore spiritus, pleni magnis desideriis, resolutionibus, pleni habilitate ad omnia; pleni omni commoditate ad conseminandam spiritualem segetem & colligendam messem, ad plantandas virtutes, eradicandas passiones & vitia. Idem de annis tertiæ probationis cogita. Quanquam præter hos, sunt aliqua in Religione tempora, in quibus id ipsum, quod annis prædictis intermissum & neglectum est, resarciri utcunque possit. Qualia tempora recollectionum annuarum, Renovationis. Imo tempora quotidianarum meditationum, examinum, confessionum, communionum. Insuper illi anni qui functionibus, laboribus ac negotiis Religiosis non ita sunt occupati, onerosi, & distracti. Vide quomodo his temporibus & annis hactenus usus sis?

Atque simul expende annos sterilitatis in Religione esse annos provectioris ætatis: & hos sicut ad alia omnia, ita præcipuè ad eliminandos pravos habitus inhabiles, adeo, ut qui illos tempestivè eliminare neglexerit, in iis con-

consenescat & emoriatur, ut experientiâ docemur. Præterea tales annos illos esse, quibus ad publicas functiones, negotia, labores, curam animarum, docendas scholas, conversationes exponimur: ubi expromendæ in usum sui & aliorum, non colligendæ annonæ spiritualis, tempus est.

Vide si ad hos annos devenisti, quomodo te in his invenisti provisum? Quodsi adhuc ab illis abes: adverte quæ inte cura & studium hujus provisionis?

PUNCTUM II.

Paranda annona spiritualis sub tẽpus annorum fertil. um.

COnsidera cujusnam rei prædicta visio admonuerit Pharaonem? Nempe provisionis parandæ sub tempus annorum fertilium pro annis ingruentibus sterilitatis.

Atque hinc expende simile quid viris religiosis agendum esse. Et quidem si adhuc illi in annis fertilitatis versantur, id ipsum eisdem omni cura & studio laborandum, ut se quàm maximè & abundantissimè quo ad omnia comparent, toties sibi ingeminando: *Tempus non erit amplius.* Quodsi verò ex his annis excesserunt, nec se pro futura vita compararunt debitè, studeant id ipsum pro posse resarcire, saltém per accuratum quotidianarum meditationum, examinum, & aliorum exercitiorum usum.

Et quoniam præ omnibus aliis tempus mortis est sterilissimum, & extremæ miseriæ & famis: hinc ad illud quam diligentissimè te compara, eaque quæ illi servient provide.

PUNCTUM III.

Bona & emolumenta ex provisione tempestiva hujus annonæ. mala ex defectu provisionis.

COnsidera primo quantùm ex una parte emolumenti perceperit Pharao, quod se huic provisioni tempestivè impenderit? nempe quod & se suumque regnum, imò totum pæne orbem sub tempus famis aluerit, nec fame permiserit interire, tot homines à morte salvando. Ex altera parte quantum damni incurrisset, si ab ea proviso-

 ne

ne abſtinuiſſet. Quomodo & ſe & ſuum regnum ac orbem ipſum extrema interemiſſet fame.

Ac proinde conſidera ſecundò ſimile emolumentum capere viros Religioſos ex tempeſtiva proviſione annonæ ſpiritualis. Nempe quod hâc ipſâ, & ad ſui, & ad tot animarum conſervationem utantur ſuo tempore. Et ſi id omiſerint, ô quam ingens damnum& miſeriam eos ſubire, ita ut cum Prodigo exclamare cogantur: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem fame pereo.* Inſuperque quot animas eorum cauſa & negligentia interire extremè. Viderint quantam non tantum pro ſe, ſed pro aliis etiam, DEO ſint reddituri rationem? Et ſi tempus & commoditas reſarciendorum tantorum damnorum elapſum: Saltem hæc damna ſuamque negligentiam, dolentiſſimè deplorent.

Colloquium & affectus ad DEUM: eidem ſupplicando; ut cujus omnipotentia,bonitate,providentia, omnia creſcunt, propagantur,foventur,ſuſtentantur,implentur, ex cujus manibus omnis temporalis annona in omnes promanat, is quoque ſua te gratia fovere, ſuſtentare, annonam tibi ſpiritualem, pro te & aliis neceſſariam ſuppeditare, ſuis efficacibus auxiliis, tuos defectus & indigentias ſupplere dignetur.

MEDITATIO LX.

De Memoriali Paſſionis Chriſti, hoc eſt Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento in ultima cœna inſtituto.

FUndam: Apoc: 22. *Oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede DEI & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, & folia ligni ad ſanitatem gentium.*

Præ-

Præl: 1. consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi tantum beneficium Institutionis Sacramenti Eucharistiæ, eoque digne fruendi.

PUNCTUM I.

Considera hac visione adumbrari Sacramentum Eucharistiæ. Idque inprimis per lignum vitæ illud ipsum intelligi. Quod enim efficacius remedium adversus omnes animæ morbos ac venena, idque sive præservans sive sanans? Enumera quas potes ægritudines spirituales, præsertim passiones & habitus vitiosos. Tum gravissimas quascunque tentationes ac insultus dæmonis, mundi, carnis: Contra hæc omnia efficacissimum antidotum in una Eucharistia invenies. *Quid per lignum vitæ intelligendũ?*

Quanta vero hujus ligni excellentia? ita ut nullæ illi arbores, nullæ mundi deliciæ ac thesauri æquiparari possint. Expende & recense intra te, ejus excellentias & dotes.

Compara hoc sacrum convivium cum nescio quibus epulis & conviviis veteris & novi testamenti, aut quæ Sacra Biblia recensent: Cum Manna, cum Agno Paschali, cum convivio Assveri &c.

Jamque per fructus hujus ligni Apocaliptici, intellige virtutes, quæ in nobis gratiâ hujus Sacramenti progignuntur. Expende autem hos fructus percipi juxta dispositionem cujusque. Per *folia ad sanitatem gentium*, intellige gratias, dona supernaturalia, consolationes & delicias spirituales, pariter secundum dispositionem accedentis ad hoc Sacramentum communicari solitas. Hinc expende, quàm non pauci Sancti evaserint, qui non cuipiam alteri, sed huic ipsi Sacramento suam sanctitatem debuere ac debebunt pro æternitate.

Vide quæ in te etiam horum omnium experientia? & quæ ad Eucharistiæ sumptionem adhiberi solita dispositio?

PUN-

PUNCTUM II.

Quid per fluvium?

COnsidera per fluvium aquæ vitæ cryſtallinum, hoc lignum alluentem intelligi, aut puritatem conſcientiæ, aut pænitentiæ Sacramentum, per quod ad Euchariſtiam diſponimur, fædatamque per peccata, eandem conſcientiæ puritatem recuperamus.

Atque hic expende, non alium ad hoc lignum vitæ acceſſum eſſe quàm per fluvium cryſtallinum, hoc eſt (ut dixi) per emundatam, per pænitentiæ dolores & lacrymas, ab omni nævo conſcientiam. Expende conſequenter, auſum & pænas eorum, qui immundo corde, nec expiato per pænitentiam, ad illud accedunt.

Vide quis apud te quoque tunc conſcientiæ nitor, quis Sacramenti pænitentiæ, ante ſumptionem Euchariſtiæ uſus?

Adverte vero fluvium illum aquæ vitæ de ſede DEI & agni proceſſiſſe: Quia ſcilicet ut pænitentia noſtra ſit nobis ad vitam & ſalutem, debet habere dolorem ſupernaturalem: qui dolor non aliunde procedit quàm à ſede DEI, hoc eſt non à viribus naturalibus, ſed ab auxilio DEI ſupernaturali.

Vide an ad hunc talem dolorem habendum, te quantum vales applices, & diſponas?

PUNCTUM III.

Quid per collocationem ligni vitæ in medio plateæ?

COnſidera illud lignum plantatum fuiſſe, non in horto aliquo concluſo, ſed in medio plateæ, hoc eſt in loco obvio; Scilicet ita fuiſſe acceſſibile, ut cuivis aditus ad illud pateret. Eandemque acceſſibilitatem ad Euchariſtiam, adverte, ſine ullo hominum delectu, ita ut cuivis, cuicunque conditioni, nobili æquè ac ignobili, ſancto & peccatori ad illam acceſſus pateat.

Hinc ulterius expende Bonitatem Chriſti ineffabilem in

in institutione hujus Sacramenti, præsertim ex prævisis tot ingratitudinibus, tot illius abusibus, irreverentiis, contemptibus ab Ethnicis, hæreticis, Catholicis, veneficis. Vide, quanta à te ipso Christus pati consveverit?

Colloquium & affectus admirationis supra hanc Bonitatem, gratiarum actionis pro eo beneficio: condolentiæ eidem Christo tot injuriis affici solito. Tum defle ingratitudines mundi & tuas. Offer in satisfactionem devotos aliorum erga hoc Sacramentum affectus.

MEDITATIO LXI.

De Institutione Sacramenti Eucharistiæ proximè ante Passionem & mortem Christi.

FUndam: Visio Eliæ 3. Reg: 19. *Qui fugiens Iezabel cùm obdormisset in umbra Imperii: Ecce Angelus Domini tetigit eum & dixit illi: Surge & comede, grandis enim tibi restat via. Respexit: & ecce ad caput suum subcinericius panis.*

Prælud: 1. consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi causas instituti in his circumstantiis Sacramenti Eucharistiæ, piosque erga illud concipiendi affectus.

PUNCTUM I.

Causæ institutionis hujus Sacramēti proximè ante passionem & mortem Christi.

COnsidera per hanc visionem figuratum fuisse Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Nempe hoc etiam epulum fuisse institutum à Christo immediatè aggressuro viam grandem & acerbam suæ passionis & mortis.

Idque ex eo, quod hoc fuerit ultimum complementum & terminus amoris Christi erga nos, juxta illud Evangelii: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Vide quo

amore, tanto amori respondeas? Præterea ideo in hac circumstantia Christum, idem Sacramentum instituisse, quod hoc sit memoriale Passionis & mortis Christi. In illo enim inprimis esse superexcellentem plusquam in aliis Sacramentis efficaciam Passionis & mortis Christi. Nam in aliis Sacramentis signa tantum ab eo instituta operantur gratiam: in hoc autem ipse Sanguis Christi, qui pro nobis effusus est, ipsum corpus Domini gratiam operatur in nobis.

Secundò. Quia ea omnia & quidem gravius sustinet Christus in hoc Sacramento ab indignè suscipientibus, quæ sustinuit in passione. Venditur, captivatur, osculo traditur, conspuitur, colaphisatur &c. Vide an non id ipsum à te quoque Christus sustinuerit ac sustineat?

PUNCTUM II.

Causa ejusdem quo ad nos?

CONsidera causas in his circumstantiis constituti hujus Sacramenti. Causas inquam quo ad nos.

Nempe id Sacramentum esse singulare præsidium, ac solatium contra omnia adversa, ærumnas, afflictiones, cruces ac præcipuè mortem ipsam, esseque optimum commeatum & viaticum in viam illam grandem æternitatis.

Secundò. Ideo hoc Sacramentum institutum ante mortem. Nempe ita illud nos debere sumere, ita ad illud accedere, acsi nobis illico post illius sumptionem moriendum esset, quod ipsum in plerisque non raro evenit. Adeoque eo sensu pietatis, ea devotione ac reverentia; ea præparatione, ea munditie cordis, quælibet communio, quodlibet sacrum absolvendum, quo sensu ultimum viaticum sumeremus.

Expende hic, & reflecte te: Si nunc deberes mori, qua devotione & affectu, inter quos actus velles Eucharistiam sumere? Idque ipsum quod tunc faceres, singulis sacris te facturum propone.

PUN-

PUNCTUM III.

Considera adhuc eo sensu & reflexione nos debere ad Eucharistiam accedere. Quod si illam indignè sumpserimus, non dubiè existimemus loco vitæ & gratiæ DEI, iram illius mortemque corporis & animæ nosmet incursuros: postquam grandis illa via æternitatis infelicissimæ sequatur. Reflecte te supra tuas communiones & sacra, an illis simile quid non merueris?

Pœna indignè Christum sumentium.

Expende præterea, qui indevotè, perfunctoriè, indignè Eucharistiam in hac vita sumere consueverunt, eos eâ gratiâ ante mortem privari, ita ut sine sumptione Eucharistiæ absque viatico decedant. Time ne tuis quoque negligentiis & tepidis communionibus sacrisque id ipsum contingat. Proindeque sicut panis ille subcinericius priusquam ori admoveretur, ad caput Eliæ visus jacuisse: *Ecce ad caput subcinericius panis.* Ita quoque tibi cum Pane Eucharistico procedendum: Scilicet ut antequam ad illum sumendum accedas, orique tuo ipsum admoveas, prius ad caput tuum eundem loces, mente & cogitatione serio id versando, quidnam indignam ejus sumptionem consequatur.

Colloquium & affectus ad Beatissimam & Sanctos ad hoc Sacramentum olim devotos, ejusque insigniores cultores, ideoque ad illud etiam singulari pietate accedentes, ut similem tibi ejusdem cultum ac devotionem impetrent: tum & illud: ne absque hoc Sacramento ex hac vita decedas.

MEDITATIO LXII.

De dignitate & obligatione Sacerdotii.

FUndam: Visio Joannis Apoc: 11. *Et datus est mihi* (inquit) *calamus similis virgæ, & dictum est mihi: Surge & metire*

metire Templum DEI, & altare, & adorantes in eo. Atrium autem quod est foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud.

Præludium: 1. Idem quod ordinariè.

Præludium: 2. Pete gratiam agnoscendi dignitatem & obligationem Sacerdotii, eamque adimplendi.

PUNCTUM I.

Dignitas Sacerdotii.

COnsidera per hanc visionem, ut templi & altaris, ita etiam adorantium in eo, hoc est Sacerdotum, mensuram dignitatis & excellentiæ Sacerdotii exprimi.

Atque ita expende hic excellentiam hujus status: comparando imo præferendo Sacerdotium novi testamenti, Sacerdotio testamenti veteris, idque non ex uno capite. Vide quomodo hactenus hanc tuam dignitatem æstimaveris?

PUNCTUM II.

Obligatio ejusdem.

COnsidera per eandem visionem adumbratam esse obligationem Sacerdotii. Idque in eo quod eadem mensura esset, & templi, & altaris, & adorantium in eo. Nempe adorantes seu Sacerdotes parem omnino, commensuratam adæquatè Sanctimoniam habere debere, parem inquam Sanctimoniæ templi & altaris.

Expende qualisnam erat, Sanctimonia illius templi Salomonici, tanto vero magis altaris ipsius? Ibi erant Sancta Sanctorum, ad quæ nulli fuit aditus permissus ex laicis: Ibi propitiatorium, ibi Arca Testamenti, ibi continua assistentia DEI, ibi incensa, ibi holocausta, ibi victimæ &c. Jam ex qua materia fabricatum erat altare, nempe ex lignis imputribilibus, ex lignis Setim, auroque insuper purissimo circumdatum. Præterea quam levi negotio contaminabantur ista.

Tum etiam expende quanta Sanctimonia, quanta mun-

mundities & puritas etiam externa in ipsis Sacerdotibus veteris testamenti requirebatur, quam rebus modicis & levibus contaminabantur iidem, & ob id prohibebantur accessu ad altare.

Hinc conclude quanta Sanctimonia templorum & altarium novi testamenti: quanta sanctimonia Sacramentorum, mysteriorum, præsertim Sacramenti Eucharistiæ, Sacrificii incruenti: Adeoque quantam hæc ipsa requirant sanctimoniam in iis, qui ea administrant: Scilicet in Sacerdotibus, ita ut hæc commensurari debeat sanctimoniæ templorum, altarium, Sacramentorum.

Expende vero atrium, quod erat foris templum non fuisse tantæ curæ DEO: nec illud Joannes metiri jussus. Sed imo relictum contaminationi gentium: ideoque hinc adverte, non ita DEUM sollicitum esse de sanctimonia & peccatis hominum laicorum, sicut de sanctimonia Sacerdotum. Vide quomodo huic obligationi satisfeceris?

PUNCTUM III.

Præmia & supplicia Sacerdotii.

COnsidera primo calamum hunc mensorium, quo templum & adorantes in eo mensurabantur, dici similem virgæ, nempe instrumento pœnæ ac supplicii. Idque forsitan hoc ipso intimari, quæ pœna quodve supplicium maneat Sacerdotes non satisfacientes suæ obligationi.

Quanquam hæc etiam mensura dicitur calamus per Analogiam cum calamo Scriptorio, quo exarantur Judicia, decreta, sententiæ, contra sontes.

Unde expende primo bona, merita & præmia bonorum & sanctorum Sacerdotum, merita inquam & gratiarum augmentum ingens, ex tam frequenti sacrorum celebratione aliisque Sacerdotalibus ministeriis

Jam considera secundo mala, demerita & pœnas Sacerdotum suæ obligationi non satisfacientium, nec correspondentium tantæ suæ dignitati, abutentium tanta dignatione

tione DEI : pœnas inquam tum temporales, tum æternas: ad illarumque recordationem salutariter contremisce, meritis vero & præmiis ad meliora te accende.

Colloquium & affectus ad Christum supremum Sacerdotem. Affectus inquam gratiarum actionis, quod te ad hoc ministerium elegerit. Doloris: quod illud tam indignè toties tractaveris: Petendo ab eodem ut te sua gratia ad Sacrosancta altaris mysteria dignè faciat accedere. Tum ad Beatissimam, ut tibi impetret gratiam sic tractandi Christum ad altare, ut illa maternis suis manibus & obsequiis tractavit eundem. Tandem ad SS. Apostolos primos novi Testamenti Sacerdotes, pariter ab iis petendo, ut eam tibi gratiam obtineant, ita hujus ministerii Sacerdotalis obeundi, quemadmodum & ipsi illud obivêre.

Potest concludi Oratione, quæ est in missali, pro se ipso Sacerdote.

Omnipotens & misericors DEUS, ad humilitatis meæ preces benignus intende, & me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiæ tuæ largitate cælestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum, ut quod mea voce depromitur, tua sanctificatione firmetur.

MEDITATIO LXIII.

De Consilio Judæorum de Christo occidendo.

FUndam: Prophetia Psalmi 2di, quo David in spiritu vidit consultantes de nece Christo inferenda Principes Judæorum. *Principes*, inquit, *convenerunt in unum adversus Dominum & adversum Christum ejus.* Deinde Sapient: cap:2. *Circumveniamus justum, quia contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis. Promittit se scientiam DEI habere, & filium DEI se nominat. Dissimilis est aliis vita illius, & abstinet se à viis nostris, & præfert novissima justorum, & gloriatur se Patrem*

trem habere DEUM. Contumelia & tormento interrogemus eum, & probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum.

Præludium 1. Imaginare te videre illos congressus Judæorum adversus Christum, tum audire verba, consilia, sententias &c.

Præludium 2. Pete gratiam hæc eadem expendendi, tum agnitam Judæorum malitiam detestandi.

PUNCTUM I.

Initia & progressus consilii Judaici adversus Christum.

CONsidera primo initia consilii & machinationis adversus Christum susceptæ.

Principes, inquit Psaltes, *convenerunt in unum &c.* Ubi adverte non alios contra Christum conspirasse, sed Principes; eos inquam, qui aliis bono exemplo præluxisse debuerant, & qui potius pro partibus Christi debuerant stetisse. Ita scilicet ab illis plerumque omnes malorum origines, initia, & progressus in alios promanant, à quibus omne bonum suum deberet ducere exordium & exemplum.

Adverte item tam facilem concordiam, & unitatem impiorum, dum agitur de patrando scelere, dum conspiratur contra DEUM, contra Christum, contra proximum. Quanta vero raritas ac difficultas similis unionis, dum operandum est bonum: dum agendum pro DEO, pro Christo &c.

Vide an non tales tui congressus, conventicula, discursus, alloquia contra DEUM, proximum, cum DEI ac religiositatis offensa, aliena noxa.

Considera secundo verba ipsa & consilia horum impiorum consultorum: *Circumveniamus justum, contumelia & tormento interrogemus eum, probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum.*

Ubi expende primo malitiam deliberatissimam & exaggeratissimam illorum, qua in Christum, habendo compertam illius justitiam & innocentiam conspirant. Ipsi enim

enim eum justum ore suo appellant, dum dicunt : *Circumveniamus justum*, ac proinde seipsos eodem ore suo convincunt & condemnant. Ad quid enim circumveniant, morte afficiant, si justum agnoscunt & pronuntiant?

Secundo expende gradationem, qua ad id sceleris & extremæ malitiæ devenerint? Nempe à minoribus aut mediocribus incipiendo & procedendo ad majora : Scilicet incipiendo à circumventionibus justi, contumeliis, divexationibus. Præivere forte prius ante hæc suspiciones intestinæ, murmurationes, sugillationes : & tandem morte turpissima & sicariatu terminatum scelus.

Expende tertio Pseudopolitiam Judæorum : *Circumveniamus*, inquiunt, &c. Scilicet simulatis amicitiis, fraudibus, dolis, fucatis affectibus, verbis promissis, contestationibus speciosis : tum contumeliis, cavillationibus apud alios labefactando famam, æstimationem, bonos affectus. Hinc tales nunquam recto tramite incedunt, omnem rectitudinem odio habendo; Sed nescio quos amant circuitus : *Circumveniamus* &c.

Expende quarto, ad vivum hic expressum modum procedendi impiorum adversus justos, ut consideranti patebit : præcipuè vero quomodo ipsa virtus & sanctitas justorum, in improbis bilem movet?

Expende quinto, ut impiis innatam fraudulentiam, qua aliis noceant, ita justis & bonis agnatam simplicitatem, circumventionibus obnoxiam, quà præeligant decipi potius quàm decipere.

Expende sextò conditionem justorum eam esse, ut dum studium virtutis strenuè arripiunt, illico se ad similes insultus, & persecutiones resolvant necesse est.

His expensis detestare inprimis malitiam impietatis; detestare gradationem præfatam in scelere : detestare pseudopolitiam, hypocrisim: amplectere, justitiam, simplicitatem. Offer te propter studium virtutis ad persecutiones quascunque, ac simul vide, an ipse etiam similibus impiorum adjunctis non sis obnoxius?

PUN-

PUNCTUM II.

COnsidera allegata Judæorum contra Christum : *Contrarius est*, inquiunt, *operibus nostris*, *improperat nobis peccata legis*, *dissimilis est aliis vita illius*, *abstinet se à viis nostris*, *tanquam ab immunditiis*, *præfert novissima justorum*, *Filium DEI se nominat* : *gloriatur Patrem se habere DEUM*.

Allegata Judæorum adversus Christum.

Ubi expende primo cæcitatem impiorum, insignes virtutes pro trabalibus sceleribus allegantium. Expende inquam, quantam impietas obcæcationem in mortales inducat, ut virtutem eximiam à crimine non discernat : crimenque pro virtute, virtutem pro scelere reputet.

Expende secundo sigillatim eas ipsas tam insignes in Christo virtutes, illasque in te ipso scrutare.

Expende tertio oculatissimam Christi circumspectionem in omnibus, nec non intaminatissimam innocentiam, ita ut jurati hostes & centoculi Zoili, cum nihil vitiosi ac vituperio digni in illo invenire potuissent, ipsas virtutes pro crimine allegare ausi.

Quibus expensis admirare inprimis, & deplora malitiam & cæcitatem horum impiorum. Deinde stude imitari Christum in tam insigni sanctimonia, ac præcipuè in circumspectione tam oculata, atque innocentia tam illimi.

PUNCTUM III.

COnsidera eventus hujus consilii adversus Christum.

Exitus concilii Judaici adversus Christum.

Nempe ex parte Judæorum fuit error, peccatum, confusio, pæna temporalis & æterna, excidium gentis Judaicæ. Ex parte Christi : captivitas, passio, improperia, mors, glorificatio, salus & redemptio mundi.

Hinc expende primo plus sibi hos impios nocuisse, quam Christo. Imo plus eidem profuisse quam nocuisse.

Expende secundo : Impiorum lætos ac prosperos fuisse, ab initio successus, sed exitum tristem ac infelicem:

Secus deplorandam in exordio Christi conditionem : sed nimis prosperam , & gloriosam coronidem.

Expende tertio ad eum finem devenire ex una parte consilia & persecutiones impiorum adversus justos : ex altera parte justorum innocentiam : ita ut illi confundantur ac pereant , isti post tot adversa & opprobria salventur & glorificentur.

Expende quarto potissimùm Pseudopolitiam non succedere , deperdere seipsam, sibi magis nocere quam alteri, suis se fraudibus irretire. Detestare consilia impiorum & similes exitus pertimesce.

Colloquium ad Christum tot iniquis consiliis, fraudibus, insidiis impetitum: Eligendo cum illo innocente adversa quæque & persecutiones pati, & in illis etiam mori, quam alium quemvis , vel minimâ fraude & calumniâ impetere. Cum aspiratione : *Non veniat in consilium impiorum anima mea* !

MEDITATIO LXIV.

De Tractatu & contractu Judæ Iscariotæ cum Judæis circa proditionem Christi.

FUndam: Prophetia Zach: 11. Ubi Propheta in persona pastoris de mercede paciscens : *Apprehenderunt*, inquit, *mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium , decorum pretium , quo appretiatus sum ab eis.*

Prælud: 1. Imaginare Judam cum Judæis de Christi proditione tractantem , ab illisque triginta argenteos accipientem.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi malitiam , ac stultitiam Judæ eamque detestandi.

PUNCTUM I.

Considera Judam tanti sceleris meditationem ac deliberationem assumpsisse non alibi, quam in cænaculo illo tot mysteriorum sacrario. *Initium sceleris Judæ in cænaculo.*

Ubi inprimis contemplare in lotione pedum Apostolicorum jacentem Christum ad pedes Judæ, illosque abluentem.

Secundò: contemplare Judam de manu Christi corpus & sanguinem ejus sumentem, sed simul post buccellam intrante in illum Satanâ.

Tertio audi Christum dicentem: *Unus vestrum me traditurus est! Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet: Væ autem homini, per quem filius hominis tradetur: bonum erat si natus non fuisset homo ille.* Audi & Judam cum aliis dicentem: *Numquid ego sum Rabbi?* cui *Christus*: *Tu dixisti*: ac tandem: *Quod facis, fac citius.*

Hinc expende primo, & admirare Christi bonitatem ad proditoris pedes procumbentis, suoque eum Corpore & Sanguine reficientis. Tum humilitatem, mansuetudinem, affabilitatem ejusdem, etiam erga capitalem sui hostem, quem non increpuit, non crudius admonuit, sed tam amicè allocutus est.

Jam è contra expende malitiam Judæ obstinatam ad tot intimationes Christi: Hypocrisim audentis interrogare: *Numquid ego?* Sacrilegam Eucharistiæ sumptionem, ejusque sacrilegii exitum, nempe possessionem sui à diabolo.

Expende præterea infelicissimam proditoris sortem omni malo deteriorem, expressam illis verbis: *Væ homini illi, melius si natus non fuisset.* Expende hic: qualenam væ Judæ intimatum: & cur melius illi fuisset: Si non fuisset natus?

Expende insuper sortem pessimam & statum hominum DEI obsequio addictorum ex eo; quod cum se sce-

leri addixerint, fiant in illo supra modum & omnes quoscunque seculares obstinatissimi.

Expende tandem deterrimam improborum conditionem, dum permittuntur ire secundum desideria cordis sui. O pœnam ipso inferno graviorem, his verbis expressam! *Quod facis, fac citius.*

His expensis disce à Christo humilitatem, disce mansuetudinem, disce affabilitatem erga adversarios quoscunque. Detestare malitiam, obstinationem, hypocrisim, sacrilegium Judæ: ejusque sacrilegii exitum, ac tuas etiam vix non sacrilegas Eucharistiæ sumptiones extimesce.

PUNCTUM II.

Progressus sceleris & conventio conclusa.

Contemplare Judam proripientem se è medio discipulorum, properantem ad Principes Sacerdotum, cum illis tractantem de proditione Christi, accipientem ab iisdem triginta argenteos.

Atque hinc expende cæcitatem & amentiam Judæ tam vili pretio Christum æstimantis: præeligentis argenteos triginta ipso Christo, cælo, æternitate. Quis pastor tam vile pretium pro unica vel altera ove susciperet? Hic ipse Pastor tam vili pretio æstimatur, venditur ab ove ingrata Juda Iscariote.

Expende item Bonitatem Christi, tam levi pretio se vendi permittentis: ut ostenderet facilè se & modicis admodum impensis comparari posse: Non esse opus montibus aureis in ejus comparationem elocandis: velis Christum habere & habebis.

Expende tamen ut Christum facilè comparari posse, ita & amitti: ut certe amisit Judas, scilicet pro triginta argenteis.

Expende etiam hac in parte humilitatem Christi, tam viliter volentis se æstimari. Erubesce tuam præsumptionem & superbiam, qui tanti te ipsum æstimas, & vis

vis æstimari ab aliis; cùmque æstimaris minus, nec ad mensuram tuæ de te opinionis, præ dolore vix non contabescis.

Imo expende amorem Christi erga te: id ipsum tam vile, tam modicum pretium, decorum admodum & egregium reputantis, ex quo ex amore tui pro salute mundi susceptum, & admissum. Sic igitur decorum Christo pro te, & propter te viliter æstimari: Tibi vero indecorum propter Christum, & pro Christo, indignius reputari postponi?

Adverte insuper, quod hic non Judæ, sed suam mercedem nominet: *Appenderunt*, inquit, *mercedem meam*, nempe tam sibi gratam, cordique suo jucundam, ex suo scilicet beneplacito factam & impensam. Præterea hæc merces, planè est Christi propria, scilicet pro ejus beneficiis & gratiis, quibus nos accumulat. O quanta nostra pro tantis in Christum parsimonia! O qualis merces!

PUNCTUM III.

Considera fontem tanti sceleris in Juda, nempe non alium, quàm avaritiam & amorem pecuniolæ. Hinc initia à modicis furtis: *Fur*, inquit, *erat*, *& loculos habebat.* Hinc murmurationes adversus Magdalenam pretiosum ungventum in pedes Christi effundentem. Hinc illa hypocrisis ac simulatio pietatis: *Poterat venundari*, *& dari pauperibus.* Vide à quibus, & ad quæ deveniatur? *Causa sceleris.*

Simulque adverte primo apud avaros homines, æstimatores terrenorum, lucri, pecuniæ, potissimum in vilissimo pretio; ac æstimatione Christum esse. Nimis vili æstimat **DEUM**, quisquis præter illum aliquid æstimat.

Adverte secundo, cur hic illa pecunia ad statuarium deferri jubetur? Num ad similes vel Christo tam viliter se suaque in nos beneficia æstimanti, vel Judæ tam viliter

ter Christum vendenti statuas exstruendas? Dispice proinde cujus statua esse velles? Christine an Judæ similis?

Colloquium & affectus ad Christum triginta argenteis à Juda venditum: Condolendo eidem Christo, tam in vili æstimatione apud Judam, illique similes existenti. Tum interrogando Beatissimam Matrem, Cælum, Angelos, terram, Creaturas omnes, quanti Christum æstiment? ac tandem ex tua parte protestando: quod illum pluris æstimes, quàm mundum, totum cælum, creaturas omnes, te ipsum, vitam & animam tuam: adeoque præeligendo potius omnes alias jacturas, quam Christi unius jacturam pati.

MEDITATIO LXV.

De angoribus, sudore sanguineo, & oratione Christi in horto.

FUndam: Prophetia Psal: 21. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea: Factum est cor meum, tanquam cera liquescens: aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me.* Item Isai: cap: 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Item Psal: 54. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

Prælud. 1. Statue tibi ante oculos mentis Christum in horto tædio affectum, pavidum, mæstum, sanguine sudantem.

Prælud: 2. Pete gratiam recolendi hoc mysterium, ex eoque fructus spirituales percipiendi.

PUN-

PUNCTUM I.

Angor & sudor Christi in horto.

CONsidera quomodo in horto Getsemani, hic locus Psalmi, & Isaiæ expletus in Christo ?

Nempe inprimis: quod *sicut aqua effusus est*, in illos scilicet omnes angores, tristitias, tædia, pavores, sudores, in quos tunc ob vivam imminentis passionis & mortis apprehensionem & imaginationem diffluxerat : Et quidem ea inprimis sui ipsius profusione in omnes tolerantias : qua in usus humanos simplex aqua se profundit : eâ violentiâ, qua eadem aqua, ruptis aggeribus & alveis sese diffundit in omnia, tam vili æstimatione sui, qua vilis unda in quoscunque usus dispensatur.

Aqua præterea duo adjuncta habet : Primo quod vices speculi gerat : Deinde quod in illa inverso modo omnia repræsentantur. Quod utrumque in Christo tunc videri poterat. Certe enim tunc vivum se inprimis humanæ imbecillitatis exhibuit speculum. Tum profecto omnia inversa in illo spectata : Dum terror inferni pavebat, fortitudo mundi languebat, lætitia & gaudium Angelorum mœrebat, vita agonizabat.

Dispersaque sunt omnia ossa illius, videlicet præ nimia adeo debilitate, & languore virium, ut tota corporis ossiumque compago, dissoluta videretur, nec ossa sibi ac membra invicem adhærere.

Factum est insuper *cor* ejus *tanquam ceræ liquescens* : non tantum ideo, quod totum visum fuerit in sanguineum illum sudorem velut cera liquefacta diffluxisse ; Sed quod etiam, cum aliàs semper inter omnia adversa, plusquam adamantinum extitisset, ita tandem ingruentis passionis, mortisque pavore compressum sit, ut instar ceræ fuerit mollefactum.

Cera ad hæc omnis impressionis, omnis sigilli, omnis figuræ capax, sic plane tunc cor Christi, cui se quævis passio

passio & affectus facile impressit : tædium ; pavor ; tristitia.

Hinc *aruit tanquam testa virtus* illius, exhausto nimirum per effusionem sanguinei sudoris, omni vigore & humido, ac proinde omni etiam robore virium, adurente præsertim ac depascente omnia intima & extima ardentiore febre, quæ se tam gravi immiscuerat paroxismo, ita ut cum toto corpore linguam etiam arefecerit, & exusserit eo redactam, ut suo officio fungi impotens faucibus adhærere cogeretur.

Eoque demum ventum est ut in pulverem mortis, hoc est in ipsam agoniam fuisset deductus : *Factus*, inquit Evangelium, *in agonia*.

Compara hic tuos mærores, afflictiones, angustias, num eo usque deveniant ? scilicet ad sanguineum sudorem, ad agoniam, ad mortem : & quidem non ex vana apprehensione ac imaginatione. Sed ex vera omnino repræsentatione ac sensu gravissimi mali.

Considera secundo locum hic pariter Isaiæ Prophetæ expletum, Nempè, sicubi hic certe Christum se hominem ostendisse, humanaque passum, illos nimirum languores, dolores, tædia, tristitias, ac ipsum agonem.

Ubi adverte expresse positum, quod *nostros languores*, *& nostros dolores*, non suos, *tulerit*. Hæc utique omnia ipsi erant indebita & impropria, nobis autem propria ac debita : hæc tamen ipse tulit, ac in se transtulit admirabili metaphorâ.

Adverte quoque expressisse illum vivum in se hominis morientis exemplar, nempe iisdem ipsis suis tædiis, pavoribus &c.

Contemplare Christum in horto agonizantem, teque supra tuam mortem reflecte, illamque tibi præ oculis pone. Et si Christo tam gravis hæc agonia, quanto tibi gravior futura est. Quæ protunc tua tædia, qui pavores, quæ trepidatio ?

Pete

Pete per hanc agoniam Christi, ut sit tuæ agoniæ propitius.

Jamque considera tertio, quæ Christum protunc contexerant tenebræ?

Primo scilicet tenebræ nocturnæ, quarum tempore, hæc & tanta cum Christo acta.

Tum deinde tenebræ mentis, quæ omnem diem ac lucem, omne serenum animi, omne solatium, omnem tranquillitatem, omne quodam modo (humano modo loquendo) saltem ad speciem in tanto passu consilium Christo eripuerant.

Tenebræ insuper ex parte DEI & cœli, vel minimum solatii ac levaminis radium in eo passu denegantis ac subtrahentis.

Tenebræ tandem ex parte mundi & hominum, ac præcipuè discipulorum, qui somno profundo obruti, ad ea quæ Christus pro eorum salute & amore tulerat, prorsus caligaverant, nimium cæci ac ingrati; ut non memorem tenebras peccatorum, quæ Christum undique contexerant: ex quo ea in se transtulit, ac suscepit suo Sanguine eluenda.

Vide, quæ teipsum quoque in tua morte & agonia tenebræ maneant? Utinam non illæ, quæ tibi diem bonæ æternitatis eripiant.

PUNCTUM II.

Considera causas tantæ in Christum perturbationis. Atque expende primo causam hujus fuisse, ingruentem passionem acerbissimam & mortem, juxta id quod Psal:54 *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me, timor & tremor venerunt super me.*

Causæ angorú & sudorú.

Vide, si in Christo innocente & securo paternæ gratiæ & suæ gloriæ tantus mortis metus: quomodo te quotidie peccantem & non pænitentem timor mortis ejusdem non conturbet?

Secundo ut nobis hac tantâ, & tali sua agoniâ felicem ac tolerabilem, nec non omni perturbatione vacuum agonem impetraret, facilitaretque eundem.

Tertio causam ejusdem perturbationis ac tristitiæ fuisse nostras in lætitiam effusiones, & in ea nimietates, quæsitaque ex rebus creatis solatiola. Causam pavoris, nostras præsumptiones, præfidentias, parvique pensiones Judiciorum DEI, mortis, inferni, æternitatis. Causam tædii, nostra in Christi obsequio, ac rebus spiritualibus tædia, tepiditates.

Præterea *cæpit Christus* in horto Gethsemani *contristari & mæstus esse*: ne nos contristent quæcunque nobis in causa Christi, in causa virtutis religiositatisque acciderint: Seu ut nos quoque salubriter pro peccatis nostris contristemur ad pænitentiam, DEOque hilariter serviamus. *Cæpit pavere*: ut & nos cum timore & tremore operemur salutem nostram. *Cæpit tædere*: ne nos tædeat in ærumnis, in adversitatibus, in crucibus Religiosis.

Agnosce vero hic, justas admodum & graves omnino in Christo fuisse causas tantæ perturbationis ac tristitiæ: Secus in te: quam leves, frivolas, imaginarias; ex solis suspicionibus ortas.

Jam causam effusi sanguinei sudoris fuisse luctam in Christo partis sensitivæ cum rationali, ita permittente Divinitate. Vide quæ apud te quoque partis superioris cum inferiori lucta? quisnam prævaleat spiritusne an caro? O miseram hac in parte tuam luctam, miseram luctam cum passionibus appetitibus &c. Etsi est aliqua, *nondum ad Sanguinem restitisti*. Pete per hanc luctam Christi, ut nunquam prævaleat tibi, tuæque rationi, spiritui, pars inferior, caro, nunquam prævaleat inimicus, præsertim in agone extremo.

PUN-

PUNCTUM III.

COnsidera quo antidoto Christus in his omnibus usus? nempe oratione & recursu ad DEUM Patrem: Oratione inquam longâ prolixâ, humili, ita ut in faciem suam procideret. Præterea Resignatione in voluntatem DEI Patris: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Tandem resolutione heroica ad bibendum calicem passionis pro salute generis humani: oblationeque ac immolatione sui holocaustifica ad omnes passiones, vulnera, dolores, opprobria, mortem ipsam, mortem autem crucis. Tum etiam per hoc ipsum glorificatione DEI Patris & sui ipsius.

Antidotum Christ. in prædictis.

Apprehende hoc antidotum, tuoque illud usui & praxi accommoda.

Colloquium & affectus ad Christum, gratias ipsi agendo pro tam copioso sanguineo sudore in animam tuam liberalissimè effuso. Offer eidem Christo omnes labores sudoresque tuos præsertim causa animarum effusos. Offer omnes tuos angores, afflictiones, tristitias in Religione, ac tandem extremum agonem tuum.

MEDITATIO LXVI.

De captivitate Christi & osculo Judæ.

FUndam: Prophetia Psalmo 21. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Item Psal: 40. *Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.* Item Isai: 51. *Posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.* Item Jerem: Thren. 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Item Zachar: 13. *Percute pastorem, & dispergentur oves.* Tandem Psal: 37. *Amici mei & proximi advérsum me appropinquaverunt & steterunt:*

& qui juxta me erant de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Præl: 1. Imaginare Christum in horto Gethsemani Judæ osculo proditum, ab insolente caterva, funibus, catenis vinctum, à discipulis relictum.

Præl: 2. Pete gratiam expendendi captivitatem Christi, illâque te ad svave jugum religiosum æquanimiter sustinendum animandi.

PUNCTUM I.

Historia captivitatis Christi.

Considera quomodo locus Psalmi 21. in Christo expletus sit? Nempe quomodo *circumdederunt eum vituli multi, & tauri pingues obsederunt eum?* Illi scilicet collectâ cohorte in hortum Gethsemani, cum Juda proditore convenientes milites, ad instar taurorum & vitulorum præpinguium, beneficiis DEI & Christi saginati, insolentes, feroces, cornupetæ, non se ductu rationis virtutisque regentes, sed frena bestiali insolentiæ ac ferociæ laxantes, omni exutâ humanitate, humanâque compassione & affectu.

Quomodo super Christum *aperuerunt os suum tanquam leo rapiens & rugiens.* Nimirum leonina feritate in Christum irruentes, grassantes, diripientes, concutientes, infestis eum clamoribus, opprobriis, convitiis, blasphæmiis velut rugitibus obruerunt.

Contemplare hic *Spiritum oris nostri Christum Dominum captum in peccatis nostris.* Contemplare funibus, catenis vinctum, toties terræ allisum, manibus, pedibus concussum barbaris, sacro vultui velut objectæ telluri impressis vestigiis: ita ut hic etiam illud Isaiæ impletum esset: *Posuisti ut terram corpus tuum &c.*

Id autem longè gravissimum Christo accidisse; non quod illum vincirent, sed quòd vincirent, tanquam mori reluctantem, tanquam fugâ sibi consulturum, tanquam non sponte,

ſponte, ſed invitè & coacte euntem in vincula, Paſſionem, & mortem : Cùm tamen ille, *oblatus eſt quia voluit.*

Diſce à Chriſto in Religione, ſpontè, libenter, alacriter, non invitè, non metu diſciplinæ & rigoris religioſi omnia agere & pati.

Atque expende cauſas tantæ Chriſti in horto Gethſemani ſervitutis & vinculorum. Nempe impatientias illas ſuavis jugi & ſervitii Chriſti, illas coactas obedientiæ, diſpoſitionum, regularum impletiones, illas religioſorum vinculorum, hoc eſt votorum transgreſſiones, illos funes peccatorum noſtrorum, malorum habituum, amores neſcio cujus libertatis &c.

Expende præterea nova nos per prædictas prævaricationes Chriſto vincula injicere, novæ illum addicere ſervituti. Vide ut ab hac aliquando in Chriſtum ſævitie deſiſtas, hiſque vinculis illum exſolvas.

PUNCTUM II.

Actio Chriſti cum Juda.

COnſidera quomodo locus Pſalmi 40. in Chriſto & Juda impletus? *Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos,* ſcilicet Judas ille pacificus diſcipulus, ille tranquillitatis domeſticæ inquilinus, ille pacis & amicitiæ ſimulator, non tantum pane quotidiano, ſed etiam corpore meo & ſanguine paſtus; ille inquam, mei inſignis ſupplantator ac impoſtor effectus eſt, pacis & affectus teſſerâ, oſculo videlicet in mei proditionem aſſumptâ.

Expende hic, & enumera beneficia Chriſti in Judam proditorem collata, & ulterius (ſi non proditor evaſiſſet) conferenda, v. g. Electionem in Apoſtolum, donum miraculorum, tot gratias, affectus &c. Adeoque admirare ejus ingratitudinem.

Expende præterea longe gravius fuiſſe oſculum Judæ Chriſto impreſſum, quam funes, catenas, concuſſiones à militibus toleratas; ita ut Chriſtus cum intimo doloris ſenſu

lu ac speciali energia illi exprobraverit : *Amici ad quid venisti? osculo filium hominis tradis.* Atque hinc conclude longè graviorem esse, longè nocentiorem, fraudulentam, astutam, dolosam, simulatam, malitiam, quam fraudis expertem, quam rudem & simplicem.

Apprehende insuper hanc allocutionem Christi, quâ Judam proditorem amicum compellat: ejusque ineffabilem bonitatem & suavitatem admirare: quòd non increpet, non vultum avertat, non dolum dolo, fraudem fraudi, fucum fuco reponat, non inimicum, non proditorem nominet, sed amicum. Agnosce Christi bonitatem, eamque imitari stude: execrare malitiam, fraudulentiam, hypocrysim Judæ: aliasque omnes, non simplices, nec rudes malitias.

Simulque adverte, vel ex eo capite longè gravius Christo accidisse osculum Judæ, quàm nescio quæ ab aliis irrogata tormenta. Nimirum quòd hic idem Judas fuerit Christi discipulus, fuerit Apostolus, fuerit persona DEO initiata. Adeoque hinc conjice Religiosorum peccata, etiam communi æstimatione leviora, longè excedere malitiâ, & gravitate secularium peccata, atque sic profundius cordi Divino vulnus infligere. Tandemque cum stupore recogita, quonam sceleris hic Judas devenerit, hinc edifcendo, homines DEO initiatos, dum depravantur extremè ac irremediabiliter malos evadere. Et hoc demum esse, quod & tu extimescas.

PUNCTUM III.

Fuga Discipulorum.

CONsidera quomodo locus Zachariæ impletus: *Percute pastorem, & dispergentur oves.* Tùm & illud Psalmi: *Amici mei & proximi &c.* Nimirum totum hoc impletum in proditione Judæ, in captivitate Christi, in fuga discipulorum, qui vix Christum vidêre in vinculis, illico velut oves dispersi, relicto eo fugerunt steteruntque à longè.

Ex-

Expende illorum pusillanimitatem, expende inconstantiam. Causasque illius non alias fuisse adverte, quam non satis bene fundatam & firmam virtutem, tum simul præsumptionem ac præfidentiam nimiam: ex qua illa vox Petri: *Etsi omnes in te scandalizati fuerint &c* Disce hinc tibimet non præfidere: Disce solidæ beneque fundatæ virtuti studere.

Colloquium & affectus ad Christum; plantis ejus sanctissimis, pro Judæ proditorio osculo, vera & sincera oscula infigendo, teque ipsum æternæ Christi mancipando servituti, memoriam, intellectum, voluntatem, cor & animam tuam in ejus obsequium captivando, ita ut nunquam Christum nunquam ejus servitium velis deserere.

MEDITATIO LXVII.

De Injuriis in domo Caiphæ Christo illatis.

FUndam: Prophetia Psal: cap: 21. *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* Item Isaiæ cap: 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Item Psal: 105. *Pro nihilo habuerunt* (alii legunt) *despuerunt terram desiderabilem.* Item Isai: 53 *Quasi absconditus vultus ejus despectus, unde nec reputavimus eum.*

Prælud: 1. Statue tibi in domo Caiphæ Christum colaphis affectum, consputum, velatis oculis.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi despectionem & injurias Christi, teque ad similia pro eodem Christo resolvendi.

PUN-

PUNCTUM I.

Colaphisatio faciei Christi.

COnsidera, quomodo locus Psalmi in domo Caiphæ de Christo impletus? *Quomodo*, inquam, *circumdederunt eum canes multi, & consilium malignantium obsedit eum.* Nempe illos Principes Sacerdotum in domum Caiphæ congregatos, & canina rabie in Christum ad Caipham adductum instigantes, illius allatrantes innocentiam, maligna & falsa testimonia contra illum accumulantes, canum superasse malitiam & rabiem, nec sacerdotali conscientia, sed bestiali feritate contra illum institisse.

Ubi condole Christo, quod illos infensissimos sibi hostes reperisset, quos amicos à corde, patronosque suæ innocentiæ habere debuerat. Adeoque hinc collige eos non raro inveniri improbissimos, qui aliis exemplo deberent prælucere ad virtutem: ita ut pejores Sacerdotes ac Religiosi evadant quandoq; quam pleriq; seculares, nec tanta & talia contra Christum scelera in domo secularium, qualia in domibus Sacerdotum ac Religiosorum aliquando patrari consueverint: ut hic de facto in domo Caiphæ actum est. Unde adverte hosce spirituales Christi insectatores, non leones, non bestias, ac feras sylvestres, non lupos appellari, sed canes, id est animalia domestica, ad custodiam & defensionem domorum ac gregum, ad fures, latrones, invasores arcendos deputata, quorum etiam lingua dicitur virtutem medicinalem habere. Ut vel hinc concludas de Sacerdotio ac religione initiatis hominibus verèque domesticis ipsius Christi: Si depraventur, deteriores evadere, magisque sua improbitate Christo, Ecclesiæ, Religioni noxios, quàm pessimos quoscunque seculares.

Considera secundo, quomodo pariter, & ille locus Isaiæ ibidem expletus: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus?*

Ubi inprimis ex una parte expende impietatem sacrilegam Christum colaphizantem, tum ex altera parte prom-

promptitudinem Christi offerentis spontaneè faciem suam ad toleranda pro nobis opprobria : *Corpus meum*, inquit, *dedi percutientibus*. Vide an similis apud te patiendi propter Christum promptitudo ? Dedisti te Religioni, dedisti corpus. Num commoditatibus, num otio & quieti ? num saginæ & esui ? num blandientibus tantum, mulcentibus, applaudentibus ? an non potius incommodis, laboribus, inediis , vigiliis , imo percutientibus etiam lingua, calamo ?

Expende secundo causas , ob quas faciem suam sanctissimam Christus Salvator tot colaphis violari permiserit. Nimirum primo, ut nos faciem DEI Patris , & illius per æternitatem valeamus aspicere , hos ille, & tantos in facie sua impetus sustinere voluit. Secundo , ne nos Angelus Satanæ colaphiset , ille faciem suam colaphis opposuit. Tertio fuisse causam harum faciei Christi illatarum injuriarum, peccata oris ac linguæ nostræ , pro quibus ille in sua Sacratissima facie voluit satisfacere.

Expende tertio , nos quoque similia contra Christum audere, eandem impietatem , & colaphisationem innovare in faciem Christi : per illas nempe famæ alienæ colaphisationes , diffamationes , detractiones , censurationes morum alienorum, tum per alia oris ac linguæ peccata. Vide an non etiam te , ejusdem reum criminis accusat conscientia ?

PUNCTUM II.

Consideratio, quomodo & illud in eadem domo Caiphæ de Christo expletum : *Pro nihilo habuerunt* , id est , *despuerunt terram desiderabilem*. Item : *Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me*. *Conspuitio faciei Christi.*

Atque hic contemplare Christi vultum undique sputis spurcissimis oppletum , oppletum os , oppletas genas, oppletos oculos, &c.

Tum expende primo ingratitudinem Judaicæ gentis; quæ pro tradita ſibi terra promiſſionis lacte & melle fluente: terram illam deſiderabilem, in quam deſiderant Angeli proſpicere, id eſt, vultum Chriſti mille oſculis dignum, ita deſpexit, tot affecit ſpurcitiis, ſputa pro melle & lacte rependit. Expende ſecundo cæcitatem & ſtultitiam ejusdem: quod vilem & deformem terræ glebam, terræ illi, in qua theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, in cujus comparatione vileſcunt omnia, & cæli non ſunt mundi, in conſpectu ejus; Ipſique etiam terreni montes, argento divites auroque, nihili ſunt, ſtultè prætulerit; Eandemque ſtultitiam in illis improba, qui terrena quæcunque præcipuè formoſa, huic deturpatæ pulchritudini præponunt, vel præponere auderent.

Expende tertio bonitatem Chriſti, à tam ſordidis & ſceleratis ſatellitibus faciem ſuam minimè avertentis: Diſce hic à tuis inimicis, à tuæ famæ, talentorum, honeſti deturpatoribus faciem non avertere.

Expende quarto cauſas: cur idem Chriſtus ſic faciem ſuam, ſanctiſſimam & digniſſimam, tam enormiter fædare permiſerit? Nempe, ut nobis per hoc mereretur intaminatam conſcientiam ejusque illimem puritatem. 2. Ut ſic noſtræ animæ fæditates, ac deformitates abſtergeret. 3. Ne pigeat nos eſſe propter Chriſtum ſic propter nos fædatum, omnium contumeliarum ſcopum. 4. Ut patienter feramus omnes per linguas, calamos, titulo informationum noſtri,deformationes. 5 Ut nihil nobis pulchri, formoſi, ac ſpecioſi in mundo arrideat. 6. Ut in facie Chriſti ſputis deformata, velut in ſpeculo noſtræ conſcientiæ nævos, peccati fæditatem, deformitatem peccatricis animæ agnoſcamus, illamque pænitentiæ eluamus lacrymis.

Expende quinto, ſimilem nos quoque fæditatem in Chriſtum inducere: commaculando ſcilicet innocentiam baptiſmalem, & puritatem conſcientiæ, tot fæditatibus, tot

tot peccatis. Tum etiam alienam famam, honeſtum. Præterea gentes DEUM ac Chriſtum ignorantes, dum peccant, eundem DEUM, quaſi extra faciem offendere ac lædere. Jam Catholicos, Religioſos, planè in faciem ipſam delinquere. Vide an non ſimilis in te contra eandem Chriſti faciem auſus?

PUNCTUM III.

INtuere faciem Chriſti, & præcipuè oculos velatos, illudque tunc planè impletum conſidera: *Quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus: Unde nec reputavimus eum.* *Velati oculi.*

Ubi expende primo, ex una parte pulchritudinem oculorum Chriſti, ſtellas ipſas cæleſtes ſuperantem, ex altera parte, fæditatem velaminis illius, quo neſcio quis ignobilis gregarius eosdem oculos obligaverat. Condole hac in parte ſpecioſiſſimis, lucidioribus ipſo ſole luminibus Chriſti.

Simulque expende ſecundo, cauſas ſuſcepti iſtius à Chriſto velamenti? Nempe primo Chriſtum oculos ſibi velare permiſiſſe, ne nos à viſione beatifica excluderemur in æternum. 2. Ut ſatisfaceret pro iis, in quibus per viſum & oculos delinquimus. 3. Ut ſic velamen & obcæcationem mentis noſtræ in peccatis à nobis auferret. 4. Ut nos ſemper in cælum ad DEUM intentos fixosque oculos, à terrenis autem averſos haberemus.

Expende 3tio, nos quoque velamen ſimile in oculos Chriſti inducere: per occulta videlicet peccata: per ſacrilegas confeſſiones: per ſtultam perſuaſionem, quod nos DEUS peccantes non videat: per neglectum præſentiæ Divinæ: per curioſos aſpectus: per negligentem oculorum cuſtodiam: per hypocriſes, ſimulationes: per transgreſſionem Regularum modeſtiæ: per curam reſpectuum humanorum: per averſionem oculorum à Cælo ac DEO, tum à proximo, ab inimicis; converſionem autem eorun-

dem ad creaturas, ad terrena. Vide an tu quoque non es complex ejusdem adversus Christi oculos delicti?

Adverte vero non dici à Propheta simpliciter absconditum Christi vultum, sed *quasi absconditum*. Nempe tunc non ita velati erant Christi oculi, ut penitus idem Christus, suos percussores non videret. Vidit illos scivitque, & quod viderit, in die Judicii patebit: Unde disce DEUM suos oculos ad speciem nonnisi claudere, velare, avertere: cùm semper revera intentissimos in peccatores eosdem oculos habeat.

Adverte secundò. Ex quo dicitur vultus Christi absconditus, ex eo inferri, quod fuerit *despectus nec reputatus*: Ita scilicet hoc ipsum nos in despectum, ac postpositionem DEI, ac Christi in Venerabili Sacramento adducit, quod eum absconditum, velatum, & quasi incognitò degentem nobiscum videamus. Reflecte te, quis apud te in hac parte de Christo sensus?

Colloquium & affectus ad Christum colaphisatum, consputum, oculis velatum, æstimando, ac præferendo faciem Christi ita sordidatam, omnibus pulchritudinibus ac speciositatibus mundi: sputa ex attactu ejusdem faciei velut dignificata præferendo gemmis, velamen sericis auro textis. Tum petendo per eandem, ut nihil tibi quidquid terrenum est abhinc arrideat. Tandemque in te excita desiderium visionis beatificæ, utque ab illa non excludaris, faciem Christi velatam, consputam, colaphisatam, interpone cum aspiratione: Pater æterne aspice in faciem Christi, & faciem tuam ne avertas à me.



ME-

MEDITATIO LXVIII.

De Christo illuso apud Herodem.

FUndam: Prophetia Psal: 21. *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Item Psal: 37. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.*

Præl ud: 1. Statue te cum Christo apud Herodem, & numerosam ejus aulam.

Præl ud: 2. Pete gratiam expendendi constantiam Christi in illusionibus ab Herode sustinendis, eandemque imitandi.

PUNCTUM I.

Considera, quomodo locus Psalmi 21. apud Herodem in Christo impletus est? *Omnes*, inquit, *videntes me, deriserunt me.*

Aulæ & mūdi politia atque genius adversus Christum decertans.

Ac inprimis contemplare, quomodo ad adventum Christi Herodes lætum se humanumque præstiterit, illumque exceperit cum gaudio. Verum postquam non juxta mentem Herodis, nec juxta morem & politiam aulicam se Christus gessit, neque illius curiositati indulsit, minimè votis ejus sese accommodans, continuò illum spernens, veste scurrili jussit indui, ac ludibrio quasi insanum ac stultum haberi.

Ubi expende primò eum esse genium aulæ & seculi, ut se illi quisque accommodet & conformet, in omnibus ei conniveat, abblandiatur, indulgeat: Quodsi quis id ipsum neglexerit, illico sit contemptui & odio.

Expende hinc secundo inconstantiam aulæ mundanique genii, qui eos, quibus ab initio favores, affectus & plausus exhibuit, postea ludibrio & contemptui habere, omni

honesto ac æstimatione spoliatos, veste infamiæ induere consuevit. Vide quomodo tibi abhinc affectibus, plausibusque mundanis fidendum est, quibus rarus admodum constanter cum integritate nominis sui & honesti usus est.

Expende tertio pseudopolitiam Herodis, candida veste Christum induentis, ut tunc illum maximè denigraret, nempe sic stultum & amentem exhibendo: & hanc esse plane eandemque politiam mundi, tum fædissimè suos asseclas denigrantis, dum illos exhibet laudibus, encomiis, æstimationibus conspicuos, ementiti candoris ac sinceritatis pallio, suas ironias, fraudes, dolosque obtegens. Vide ne tantopere laudes, encomia, plausus mundi venari assuescas

Expende quarto, Herodem ideo Christum alba veste induisse, ut stultum exhiberet. Quid vero candori ad stultitiam? Ita scilicet apud aulicos, apud mundanos, candor, sinceritas, pro stultitia reputatur, *derideturque Justi simplicitas.*

Expende quinto, hic planè Christum suis sequacibus reliquisse exemplum, quomodo non ad normam politiæ mundanæ & aulicæ se gerere, non secularium indulgere curiositatibus & votis, non ad genium illorum vivere, non ad morem eorundem sese componere debeant: & si nescio quæ odia, ludibria, irrisiones cogerentur subire.

Vide, quis in te hac in parte sensus, quis animus? Christone an mundo te conformandi, ad Christine genium, an ad mundi gustum, te componendi? Vide præterea, quæ apud te resolutio, ut pro Christo, & cum Christo ludibrio ac irrisioni habearis, pro etiam stulto ac insano reputeris? Reflecte te quomodo hactenus tui tuorumque talentorum depretiationes sustinueris.

PUNCTUM II.

Duo ſpirituales politiæ arcana adverſus genium mundi.

CONſidera quomodo ſe Chriſtus in his apud Herodem ludibriis geſſerit? Atque adverte planè hic illum implevisse illud Pſalmi: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.*

Ubi expende primo, magnum in hoc ipſo vitæ & induſtriæ religioſæ ad omnes vincendas ac triumphandas perſecutiones, ludibria, depretiationes, cenſuras, obtrectationes, detractiones, reſpectus humanos, præcipuè illud: *Quid dicent?* latere arcanum. Nempe ad omnia aures occludere, tanquam ſurdum eſſe, obſurdeſcere. Idque etiam ipſum ad comparandam & retinendam pacem religioſam valere plurimum. Vide quantum hac in parte exemplo Chriſti profeceris?

Inſuperque expende ſecundo, non minori ſtratagemate, & politiæ ſpiritualis arcano, ibidem in aula Herodis Chriſtum in hoc quoq; fuiſſe uſum: quod *ſicut mutus non aperuerit os ſuum.* Quod ipſum quantum in vita religioſa, in omnibus adverſitatibus, depreſſionibus, cryſibus, oblocutionibus, infamationibus, conviтiis valeat, experientià multorum probatum eſt. Aliam hac in parte mundi methodum eſſe, nempe verba verbis, probra opprobris regerere, ac velut linguâ digladiari. At vitæ religioſæ efficaciſſimum ad quævis ſuperanda vitamq; pacatam habendam dogma eſſe: ad omnia obmuteſcere, omnia ſilentio præterire.

Vide quanta tibi in hac politia ſpirituali praxis, & quis illius in prædictis occaſionibus uſus? Reflecte quoque te, ad tuas in Religione inquietudines, perturbationes, tecum & cum aliis moleſtias: illasque neglectui hujus arcani ſpiritualis adſcribe. Nempe quod nondum exemplo Chriſti, ſurdus & mutus evaſeris.

PUN-

PUNCTUM III.

Christus ab Herode spretus ac eundem spernens

COnsidera Christum quidem ab Herode, & ab aula Herodis spretum: Sed simul expende, quomodo Christus ipsius Herodis gratiam, æstimationem, respectus, aulæ totius plausus, conversationes, acceptationes, prius apud se spreverit, imo spreverit etiam ipsosmet sui contemptus ac ludibria.

Disce hinc mundana omnia ipsasque tui postpositiones spernere similiter: ad solius DEI gustum vivere, DEI de te deque tuis talentis, ac virtutibus, utpote æquissimi rerum omnium Judicis & æstimatoris judicio contentum esse.

Colloquium & affectus ad Christum exaltando illius sapientiam etsi pro stultitia reputatam: offer & trade te illi in discipulum, ut discas omnia mundana, sive tibi plausibilia, sive depretiativa & contemptiva tui, heroico animo contemnere. Offer te insuper ad quævis ludibria &c.

MEDITATIO LXIX.

De Christo flagellato.

FUndam: Prophetia Psal: 37. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Item Psal: 72. *Fui flagellatus tota die: & castigatio mea in matutinis.* Item Ps: 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (alii legunt) *araverunt peccatores.*

Prælud: 1. Statue tibi Christum denudatum, alligatum columnæ, totum flagellis cæsum, sanguine perfusum.

Prælud: 2. Pete gratiam compatiendi Christo, & ad omnia flagella pro eodem te resolvendi.

PUN-

PUNCTUM I.

Considera primo, quomodo locus Psal: 37. in Christo impletus sit: *Ego*, inquit, *ad flagella paratus sum*. Quomodo inquam Christus paratior fuit ad subeundam tam sævam flagellationem, quàm ejus adversarii ad inferendam. Vide quæ apud te quoque ad adversa pro Christo sustinenda promptitudo ac resolutio?

Promptitudo Christi ad subeunda flagella, ad eaq; præparatus animus: tum denudatio ejusdem.

Considera præterea quomodo & illud impletum? *Dolor meus in conspectu meo semper*: Nimirum Christum prævisa habuisse omnia tormenta passionis suæ, præcipuè flagellationem, ad illa se præparasse anticipato, & quidem ita acsi illi essent præsentia. In oculis enim & conspectu nihil potest esse nisi præsens. Vide an tu quoque habeas consuetudinem prævidendi ea, quæ tibi ingruere possunt adversa?

Tum jam contemplare Christum, sive in Prætorio, sive in foro consistentem modestissimis oculis, verecundissimo vultu: circa illum, cohortem lictorum, detrahentem, diripientem vestes, denudantem collum Christi, brachia, dorsum, ita ut totus pænè nudus in oculis tot hominum constiterit.

Expende hic primo, ingentem in hac denudatione plusquam Virgineæ Christi verecundiæ ruborem, ac sensum, ut hic omnibus torturis gravior exstiterit. Si sponsa tantopere questa, quod pallium illi sublatum fuerit: *Tulerunt*, inquit, *pallium meum*. Quis in tanta sui denudatione Christi sensus? Hic ille planè *candidus & rubicundus* apparuit. Candidus ob eximium candorem corporis sui. Rubicundus ob insignem verecundiam.

Expende secundo, hujus denudationis causas: Nempe nostras inverecundias, vestis innocentiæ vilipensiones, commaculationes, jacturas, alienorum factorum secretorumve denudationes. Præsertim vero Christum se nudari

permisisse: ut nobis per hoc vestem innocentiæ, & stolam gloriæ mereretur.

Expende tertio quod testatur S. Brigitta: *Nimirum Christum ad columnam constitutum, eandem ambabus manibus amplexatum esse, sponteque sibi vestes exuisse.* Ex quo disce, te quoque favore ac beneficentiâ Christi alligatum esse columnæ vocationis & religiosi instituti, adeoque tibi eundem Christum præluxisse exemplo, quomodo te ad hanc columnam gerere debeas: Nimirum ut illam æstimes, ac tenerrimè complectaris, quia per eam ascensurus es in cælum. 2dò, ut ad eandem nudus persistas, nihil de rebus terrenis ac desideriis etiam tibimet adhærere permittas. *Quid enim sunt terrena omnia* (juxta S. Gregorium Papam) *nisi quædam corporis indumenta.* 3tio, ut te non pudeat paupertatis & nuditatis tuæ Religiosæ. 4to, ut paratus sis juxta hanc columnam ad flagella immittenda à DEO, per diabolum, domesticos, externos, superiores, æquales.

PUNCTUM II.

Alligatio Christi ad columnam.

Contemplare Christum columnæ alligatum, contemplare sæva illa vincula, *quæ nihil valuissent, si vincula charitatis* (ut ait S. Laurentius Justinianus) *defuissent.*

Expende causas: ob quas se Christus tam diris vinculis alligari permiserit? Nempe illas nostras liberas conscientias, liberas & laxas resolutiones, liberas conversationes, libertates sensuum, actionum, dissolutos mores, dissolutam religiositatem, vacillantes votorum Religiosorum nexus, debilia nimis vocationis vincula, impatientiam jugi Christi: Funes peccatorum nostrorum: quos ut dissolveret, seipsum alligari vinciri permisit. Arctiores etiam cum peccato, aut saltem cum discrimine peccandi, cum personis sexus utriusque amicitias. Amove quamprimum hæc omnia, ut Christum tantis vinculis ac servitute eximas.

Atque hinc simul normam persistendi ac perseverandi ad columnam religiosam assume. Nempe ad hanc etiam alligari te, & quidem per firma & solida vincula necesse est. Quæ vero illa? Si non vincula charitatis DEI, si non vota Religiosa? Vide, si non laxa, si non debilia ac infirma hæc vincula: alioquin ad hanc columnam ad finem non persistes. Cura igitur, ut hos eosdem nexus consolides, confirmes, adstringas.

Insuperque alia ligamenta his nexibus addas, scilicet amorem Christi, & crucis, amorem, ac æstimationem vocationis, voluntatem DEI circa te disponentis, satisfactionem pro tuis delictis, usum mortificationis externæ, firma proposita, arctam custodiam sensuum, &c.

PUNCTUM III.

Contemplare jam Christum inter flagella, inter tot lictores, inter plagas mille, inter vulnera & sanguinem. *Flagellatio Christi.*

Expende multitudinem ac ferociam lictorum, numerum flagrorum, gravitatem absque numero plagarum, ita ut expletum sit illud Psalmi: *Fui*, inquit, *flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.*

Ubi adverte fieri hic mentionem expressam non meridianæ, non vespertinæ, sed matutinæ castigationis: quia hæc scilicet fuit gravissima, tum ex recenti plagarum tolerantia, tum ex recenti nondum defatigato lictorum robore.

Adverte quoque flagellationem totius diei, dici castigationem in matutinis; idque ex eo, quod novi semper ac novi ad flagellandum accederent, seque toties permutarent satellites, nova ac nova flagra assumerent, eaque duriora semper, aliis atque aliis Christi membris, & Sanctissimi Corporis partibus ictus incuterent, ac proinde matutinam toties castigationem innovarent. An quod etiam

 tantus

tantus Christo pro nobis patiendi inesset ardor & amor, ut si usque ad meridiem, ad vesperam, ad noctem usque profundam, sævissimè castigaretur, videretur sibi tunc ipsum mane, quo castigatio exorta.

Audi præterea Christum in Psalmo conquerentem: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (alii legunt) *araverunt.*

Ex quo intellige inprimis, quàm crudelis illa fuerit flagellatio, qua Christi dorso, velut agro sulci ab aratro impressi, seu velut atria, aut vestibula domûs ferro fabrili excisa ac fabricata.

Tum collige: cur sibi hos eosdem sulcos exarari; hæc quasi habitacula fabricari permiserit? Nimirum ut inde tibi amplissima meritorum, gratiarum, & gloriæ æternæ messis exsurgat, ut habeas quo in tuis adversitatibus, in vita & morte confugias.

Expende secundo alias causas, tam diræ castigationis; Nempe illas nostras commoditates, indulgentias corporis, ac præcipuè peccata carnis. Tum etiam neglectus mortificationis externæ. Velim accederent huc illi commoditatum omnium studiosi, illi delicatuli corporis sui mollesque fautores: Illi carnales, voluptatibus suis profunde immersi, ac viderent, quam fabricam in dorso Christi sanctissimo exstruxerint.

Expende tandem hic tibi normam & exemplum à Christo relictum, quali animo & quali vultu ad columnam Religiosam infligendi tibi ictus, à te suscipiendi atque sustinendi? Atque hic ibidem contemplare Christum inter tot flagella nulli irasci, nulli vel minimum offensionis signum, seu indignationis exhibere, de nullo conqueri, ut desistant à flagellando, vel mitius castigent, non supplicare, non se vinculis eximere, non se à columna expedire: Singulos ictus de manu DEI Patris, cum desiderio longè plura patiendi acceptare, pro suis flagellatoribus orare, ipsa fla-

flagellationis suæ tormenta, pro salute eorum offerre. Vide ut hanc ideam patiendi ad amussim imiteris.

Colloquium ad Christum per innovationem vinculorum, seu votorum Religiosorum aliorumque privatorum: tum protestationum ac resolutionum heroicarum.

MEDITATIO LXX.

De Coronatione Christi.

FUndam: Prophetia Psal: 68. *Quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Item Ezechiel: 24. *Pelagus operuit caput meum* (alii legunt) *junci operuerunt &c. Scilicet junci marini, ex quibus dicitur fuisse corona Christi?* Item Isai: 9. *Factus est principatus ejus super humerum ejus.* Hebræa versio l git: *Factum est imperium ejus è spina*

Prælud: 1. Statue tibi Christum spinis coronatum, arundinem manu præferentem.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi dolores capitis Christi, ex corona spinea sibi imposita, fructusque spirituales ex ea decerpendi.

PUNCTUM I.

Coronatio Christi spinea & causa illius.

COnsidera, quomodo in coronatione Christi cruenta, expletus sit locus ille Psal: 68 *Quem tu percussisti &c.* Nempe sævos illos milites, instinctu Judæorum nequaquam commiseratione Christi satis per flagella excarnificati commotos, novum à diabolo ex ogitatum inventum ad eundem Christum excruciandum, coronam scilicet spineam assumpsisse, atque sic ultra decretum Judicis *super dolorem vulnerum*, ex cruentissima flagellatione nondum persanatorum addidisse, idque ad ludibrium.

Nec vero aliter quam simili specie honoris mundum hominibus illudere.

 Con-

Contemplare hic Christum spinis coronatum! contemplare tot aculeos ejus capiti innocentissimo, usque ad cerebrum infixos, frontem undique illis circumseptam: totum vultum Sanguine ex capite deciduo mersum, ita ut hic illud etiam impletûm sit: *Pelagus operuit caput meum*, videlicet pelagus Sanguinis, ex tot cicatricibus per atroces juncos inflictis in faciem profluens. Pelagus tot dolorum, convitiorum, ignominiarum. Pelagus tot monstrorum, quæ tunc adversus Christum emersere, ut illuderent. Pelagus tot amaritudinum.

Atque hic expende causas tantæ carnificinæ in Caput Christi? Nempe nostras superbias, elationes, cogitationis peccata: illos capitis nostri fraudulentos, ac versipelles conceptus, illa nescio quæ, ipso cerebro distillata in proximi depressionem, vindictam, in sui iniquam defensionem, ad quærendas excusationes in peccatis, consilia, illa nostra tam laboriosa ob solius vanitatis aucupium studia, conciones, lucubrationes, labores scholasticos, actus quoscunque publicos, extremas cerebri fatigationes: illas circa terrena sollicitudines: illas nimias doctrinæ, eruditionis ostentationes.

Expende vero & alias causas, ob quas sibi Christus tot aculeis caput configi permiserit? Nempe, ut nobis viam ad peccata his spinis obsepiret ac obstrueret: ut coronâ spineâ coronam gloriæ regnique cælestis, tum & aliis Principibus, Regibus, Imperatoribus, Pontificibus coronas terrestres mereretur. Mereretur præterea, tot Doctoribus sapientibus abundantiam, & excellentiam doctrinæ, scientiæ, laureas doctorales. Primario vero coronas Martyrii, Laureolas Virginitatis.

Gratias age Capiti Christi spinis confixo: & quoniam aliis coronis, indignum te reputas, saltem ne à corona gloriæ cælestis excludi merearis enixè supplica.

PUN-

PUNCTUM II.

COntemplare adhuc eandem in Capite Christi coronam spineam, ex eaque fructus & doctrinas spirituales decerpe. *Reflexiones spirituales ex occasione coronationis Christi.*

Primoque locum Prophetæ in memoriam revoca: *Factum est*, inquit, *imperium ejus ex spina.* Ex quo recogita: Christus Regnum sibi à turbis se quærentibus coronamque Regiam oblatam repudiavit: illique & omnibus mundi honoribus coronam, ac imperium spineum juxta dictum Prophetam prætulit: & quomodo tibi terreni quicunque honores, dignitatulæ nescio quæ, etiam Religiosæ arridebunt? En tibi velut olim S. Catharinæ Senensi Christus duplicem coronam auream & spineam offert: vide quam eligas?

Secundo, Christus caput nostrum spinis coronatum: decetne sub hoc spinoso capite membrum esse delicatum? decetne sibi indulgere, molliter ac indulgenter tractari velle, sine sensu alicujus aculei, absque spina, absque aliqua punctura vivere?

Tertio, caput Christi, Patris æterni dispositioni ad spinas & tribulos subditum: & tu caput tuum, judicium ac intellectum Religiosæ obedientiæ ac dispositioni non subdes?

Quarto, Christus post suos in vinea DEI, circa salutem animarum labores, loco amplioris solatii & præmii spinas retulit: Et tu post labores Religiosos, rosas commoda, præeminentias, exemptiones, respectus, gratitudines nescio quas tibi promittes?

Quinto, Christus caput spinis perfossum, tot vulneribus saucium, non pulvinari, non molli culcitræ ad captandam quietem acclinari ac reponi voluit, sed duræ cruci: & tu vix aliquantulâ vigiliâ, curâ, labore, defatigato capiti mollia reclinatoria suavemque quietem quæres?

Adverte vero, quod milites plectendo spineam Christo

sto Coronam, non dubium quod semetipsos quoque spinosis aculeis non parum cruentarint, nec tamen destiterint eam plectere, ut eidem Christo tanto majorem cruciatum afferrent. Proinde non dissimiles illis plerosque, qui nescio quæ, cum suo etiam cruciatu tormento incommodo jactura subeunt, modo proximo tanto gravius noceant, eumque discutient, aut vindictam de illo sumant. Quanquam ordinariè, qui nocent aliis, sibi non minus nocent. Execrare talem malitiam, talemque improborum sortem.

PUNCTUM III.

Arundo manibus Christi inserta, eâque caput percussum.

CContemplare arundinem pro sceptro Regali manibus Christi insertam ad ludibrium: illâque Caput Christi repetitis toties vicibus percussum.

Expende causam hujus ipsius: Nempe illas nostras, quarum arundo à quovis vento agitari solita symbolum, in servitio DEI, in propositis inconstantias: illas in tentationibus, in adversis, quibus tam facile ad instar arundinum succumbimus, frangimur, debilitates, fragilitates, illas respectibus humanis nostri acclinationes, illas in actionibus, conversationibus, colloquiis arundineas levitates: illas facilitates ac flexibilitates ad omnia.

Vide, ut in manibus Christi arundo esse desinas.

Expende secundo, quidnam sunt omnia temporalia divitiæ, honores, voluptates, plausus, amicitiæ, gratiæ, favores, respectus humani, nisi arundines. Et hæ, ô quantum nostra capita curis, sollicitudinibus, turbationibus, molestiis, angoribus, incommodis, vigiliis, æmulationibus concutiunt! Detestare tales arundines, caputque tuum Christi arundini omnibusque ab eo immittendis flagellis submitte.

Colloquium & affectus ad Christum spinis coronatum: exhibendo eidem sincerissimo corde & obsequio eas omnes adorationes, salutationes, genuflexiones, quas illi sævissi-

sævissimi lictores exhibuere per ludibrium: Tum agnoscendo eundem pro vero ac legitimo Rege tuo, ac totius mundi: Subdendo illi omnes vires ac potentias, totum corpus & animam tuam: invitando ut in corde tuo solium figat, illud possideat, nec amplius quisquam alius in illo regnet.

MEDITATIO LXXI.

De Præsentatione Christi à Pilato.

FUndam: Prophetia Isai: cap: 53. *Non est species ei neque decor: Vidimus eum & non erat ei aspectus. Despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, Et nos putavimus eum, quasi leprosum & percussum à DEO & humiliatum.* Item Psal: 21. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Item Isai: 5. *Expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor.*

Prælud: 1. Statue tibi Christum ea specie, quâ fuit à Pilato populo præsentatus.

Prælud: 2. Pete gratiam ex hoc spectaculo intimæ Christo compassionis fructusque spiritualis percipiendi.

PUNCTUM I.

Præsentatio Christi & indigitatio: Ecce homo, cum variis additis epithetis.

COnsidera quomodo hic locus Propheticus impletus in Christo: *Non est species ei, neque decor &c.*

Atque hic contemplare Christum à Pilato productum populo: Contemplare illius caput spinis coronatum, faciem totam lividam, oculos intumescentes. Contemplare non tam Christum, quam potius totum vulnus, non tam hominem quam monstrum, nulla specie, nullo decore: ita ut Pilatus eum producens populo, eumque indigitans proclamare debuerit: *Ecce Homo!*

Adde hic epitheta appretiativa Christi: Ecce, inquam,

quam, Homo, sed simul DEUS, Filius DEI, Rex Regum, & Dominus Dominantium, hæres cæli & terræ, homo ille tam bonus, tam amabilis, olim tam speciosissimâ formâ præ filiis hominum, tam bene de omnibus meritus. Homo quo nihil humanius, nihil beneficentius. Homo nec qualiscunque homo, sed inter tot dolores & opprobria, Vir plane dolorum, Heros omnibus heroibus major. Addito plus cælum, addite Angeli, adde Pater æterne, adde terra.

Adde iterum epitheta, quasi depretiativa & exaggerantia miseriæ Christi: Ecce, inquam, homo, nec hominis vestigium habens, tam lividus, tam monstrosus, tam miser, tam despectus, quasi leprosus. Nec solum in oculis inimicorum, carnificum, malevolorum, sed etiam in oculis amicorum, Prophetarum, Angelorum: *Vidimus eum*, inquiunt, *& non erat ei aspectus*. Præterea adeo miser & miserabilis; ut non tantum ab hominibus, sed etiam à DEO ipso (quod extremæ miseriæ est) videretur derelictus, percussus, humiliatus. *Putavimus eum quasi leprosum & percussum à DEO &c.* Imo etiam homo, humano consortio indignus: ex quo leprosi ab eodem consortio arcebantur.

Adde adhuc exaggerativa malitiæ, ac ingratitudinis humanæ: Ecce, inquam homo pro tot beneficiis tam malè ab hominibus tractatus, tam iniqua passus, tam innocenter excruciatus, tam injustis criminationibus obrutus.

Jam hæc eadem verba ad te ipsum obverte: Ecce tu quoque homo, sed qualis homo? vix homo, aut nimis homo. At non vir, inter adversa, inter dolores, inter luctas cum mundo, carne, diabolo. Applica tibi plura epitheta & prædicata, depretiantia te coram DEO & cælo, magnamque differentiam & dissimilitudinem tui ostendentia cum Christo.

PUN-

PUNCTUM II.

Considera, quomodo hæc species populum ad commiserationem moverit?

Quis motus in populo ad eam præsentationem?

Nempe hic primo expletum illud: *Ego sum vermis, & non homo.* Sicuti enim vermis (cum alia animalcula facile commiserationem sui concilient) non tantum ullius supra se commiserationis capax est, dum percutitur, dum calcatur, dum conteritur, sed imo quandam à se aversionem, indignationem & bilem movet. Ita plane ad eam sortem infelicissimam, ac miserrimam apud populum ingratissimum redactus est Christus. Quæ enim major miseria, quam in extrema sorte commiseratione carere?

Expletum secundo & illud Isaiæ: *Expectavi ut facerent judicium, & ecce iniquitas, & justitiam, & ecce clamor.*

Imaginare proinde te audire vociferationes populi inclamantis: *Crucifige, reus est mortis, secundum legem debet mori.* Imaginare dicentem Pilatum: *Regem vestrum crucifigam? nullam in eo mortis causam invenio: Quid enim mali fecit?* Tum populum respondentem: *Non habemus Regem, sed Cæsarem;* Ac tandem: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.*

Ubi expende singula tum ex parte & ore Pilati, tum ex parte & ore populi prolata: Reflexionesque practicas inde erue.

Nempe v. g. Dum in offensam DEI consensum præbiturus es, idem plane vociferari mundum, carnem, diabolum, voluptatem, suggestionem: *Crucifige, reus est mortis.* Reponere rectam rationem: *nullam in eo mortis causam invenio: quid enim mali fecit?* Illos etiam pro sua parte frivolis rationibus, prætensionibus & allegatis urgere: *Secundum legem debet mori.* Secundum legem, inquam membrorum, legem peccati, corruptæ naturæ, depravatæ rationis. Tum instare conscientiam: *Regem, inquit, vestrum crucifigam?* Respondere ad hæc au-

dacter libertatem humanam, turbam effrænatarum passionum, habituum, respondere appetitum sensualem: *Non habemus Regem.* Tandemque concludere obstinatam ad peccandum voluntatem: *Sanguis ejus super nos.*

Vide quænam ad hæc ex tua parte pro Christo, pro conscientia & anima tua reponas?

PUNCTUM III.

Postpositio Christi Barabbæ, & adjudicatio voluntati Judæorum ad crucifigendũ.

COnsidera quo devenerit insania & malitia Judæorum? Imaginare te audire dicentem Pilatum: *Quem vultis vobis dimitti, JESUM an Barabbam?* Populum autem respondentem: *Non hunc, sed Barabbam. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Tum intuere Pilatum lavantem manus, ac dicentem: *Mundus sum ego à Sanguine justi hujus*: atque sic Christum tradentem voluntati Judæorum.

Expende hic primo: verè hic (juxta Prophetam) Christum *despectum*, *vere novissimum virorum*, qui sic despici, qui etiam Barabbæ postponi meruit. Vere *abjectionem plebis*, ex quo sic à tota plebe nullo reclamante rejectus: verè *absque specie ac decore*, in quo quidnam arrideret non fuit; ita ut plus in deformissimo vita & scelere Barabba plebi arriserit, quam in Christo: vere *percussum*, & *humiliatum à DEO*, qui infra Barabbam positus. Vere *vermem*: cui Barabbas, qui nihil erat præterquam naturâ homo, moribus bellua, antelatus.

Expende secundo, tam iniquam Christi cum eodem Barabba comparationem.

Expende tertio, quantum respectus humani valeant, respectus amicitiarum, gratiarum &c. Atque adversus illos te obfirma.

Expende quarto, quam crudeli tyranno Christum Pilatus tradidit, dum *tradidit voluntati Judæorum.* O si intellectui, rationi, conscientiæ!

Expende tandem eâdem plane serie rem agi; dum itur

itur in offenſam DEI. Lumen ac dictamen rationis proponere ex una parte Dignitatem DEI offenſi : ex altera parte evanidam voluptatem, turpitudinem peccati, velut alterum Barabbam, & dicere : *Quem vultis?* Reponere obcæcatos delectatione corporeos ſenſus : *non hunc, ſed Barabbam* : *Chriſtus crucifigatur* : Barabbas, hoc eſt, brevis voluptas ſit in integro, Chriſto præferatur. Huc etiam ſeſe inſinuare laborantem pro Chriſto eliberando Pilati uxorem, hoc eſt vigilem ſemper gratiam DEI, ſeu animam ipſam hominis. Verum exclamare reſpectus humanos, reſpectus amicitiarum, gratiarum! *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Tandemque rectum alioquin Judicem, nempe intellectum conquiſitis favorabilibus, & coloratis reſolutionibus infaſcinatum, ac ſeſe quaſi lotis aquâ manibus emundantem, nec non tot vociferationibus reſpectibus depravatum, totum negotium in voluntatem devolvere, illi Chriſtum crucifigendum tradere.

Deteſtare talem Judicii proceſſum.

Colloquium & affectus ad Chriſtum, condolendo illi de tanta ingratitudine & obſtinatione plebis Judaicæ, ac præcipuè de tam iniqua comparatione cum Barabba. Tum deflendo comparationes apud te ſimiles. Præferendo abhinc Chriſtum ex tua parte omnibus rebus creatis, omnibus gratiis, amicitiis, reſpectibus : agnoſcendo in illo non tantum quidquam mali, non tantum ullam in eo mortis cauſam, ſed imo omnia optima, omnia ſupremâ ejus æſtimatione digniſſima, cum exclamatione oppoſita : Vivat JESUS, vivat in cælo & in terra, vivat in ore, vivat in corde, vivat & regnet in æternum : Non habemus niſi Regem JESUM, & hunc crucifixum : ſi hunc toto corde non diligis, non es amicus æterni Patris, ſed imo anathema. *Sanguis ejus ſuper nos* : ſed Sanguis ad ſalutem æternam.

ME-

MEDITATIO LXXII.

De Christo crucem bajulante.

FUndam: Prophetia Psal: 95. *Dominus regnavit à ligno.* Item Isai: 9. *Factus est Principatus ejus super humerum ejus.* Item apud eundem 22. *Dabo clavem David super humerum ejus.* Tandem Isai: 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.*

Prælud: 1. Constitue te in ea turba hominum, quæ Christum crucem bajulantem fuerat comitatata.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi hujus mysterii, nec fatiscendi sub cruce Christi.

PUNCTUM I.

Quo animo Christus decretum Pilati, ac onus crucis susceperit, illud æstimaverit, cum illo processerit?

COnsidera, quomodo hæ Prophetiæ in Christo impletæ? Nimirum: *Dominus regnavit à ligno. Factus es Principatus &c. Dabo clavem David* Quæ, inquam, erat illa clavis? quis Principatus? quod lignum? nisi lignum crucis humeris Christi impositum.

Atque hic expende, Christo crucem fuisse insigne Regni, fuisse Principatum, fuisse clavim, qua nobis cælum aperuit: Vide quanti & tu crucem æstimes: an illam pro Regio insigni, pro Principatu, pro clavi ad cælum reputes?

Tum contemplare inprimis Christum ante Tribunal Pilati præstolantem ultimam de se sententiam. Audi Pilatum pronunciantem mortis decretum, ut crucifigatur. Expende, quam illud æquanissimè, quam libenter cum profunda capitis inclinatione Christus acceptaverit: ut hinc ediscas molestissimas licet superiorum dispositiones ac decreta gratanter acceptare.

Con

Contemplare jam Christum post latam sententiam subitò à Tribunali tractum, raptatum violenter, trabalem crucem ejus humeris impositam: è Civitate, magna populi tum condolentis, tum illudentis, & improperantis caterva, non tam eductum quam extrusum. Admirare Christi mansuetudinem: *Qui sicut ovis ad occisionem ductus, & quasi agnus coram tondente se obmutuit:* Non Judicem, non accusatores, non lictores, non manifestam injustitiam, ac nefas incusavit, non se innocentem condemnari, ac perire questus est. Ut hinc etiam discas, illud non allegare toties, scilicet innocenter te pati, innocenter deprimi, humiliari, puniri.

Audi eundem Christum ad plorantes mulieres dicentem: *Filiæ Sion nolite flere super me, sed super filios vestros: Si hæc in viridi ligno, quid fiet in arido?* Atque hic erubesce illas in tuis levibus religiosis ærumnis ab aliis emendicationes compassionum, condolentiarum, consolationum: cum eas Christus in extremo suo supplicio non admiserit: simulque metum salutarem Divinæ super te animadversionis concipe, ex quo lignum aridum, lignum infructuosum absque omni religiosæ virtutis virore inveniris.

PUNCTUM II.

Lapsus Christi sub cruce, ac Cyrenei substitutio.

Contemplare Christum non tam sub crucis immani onere fatiscentem, quam pondere iniquitatum nostrarum, usque ad terram depressum. Nempe juxta Prophetam: *Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum.*

Atque expende: quæ, quanta, qualia, quorum, quotve hominum ibi fuerint peccata super Christum imposita? Nimirum peccata totius humani generis, à primo Adam usque ad consummationem seculi. Nec defuisse tua, hæc & illa. Expende vero quænam inibi Christo gravissima fuere, ac onerosissima peccata, quæ illum maximè depressere ad terram?

Tum contemplare Simonem Cyreneum ad Crucem Christi ferendam angariatum. Sed quo merito, quo præmio? cùm non legatur Christus hoc illi obsequium compensasse. Agnosce hic Religiose tui ad vivum expressam in hoc Cyreneo imaginem. Tui inquam Religiose, qui crucem Domini non libenter, non sponte, sed invitè & coactè sustines, qui ad omnia religiosa munia angariari & compelli debes: ad omnia superiorum imperia ac dispositiones, ad quotidianas designationes exequendas, ad ordinarias etiam actiones ac exercitia, ad meditationes, examina &c. velut ad furcam traheris, nihil alacri, nihil æquo animo subeundo. Jam experimenta paupertatis, obedientiæ, patientiæ Religiosæ, quàm ingratè, quàm acerbè, quàm reluctanter suscipis. Vide quod tuum inde emolumentum, quod meritum, quod præmium?

PUNCTUM III.

Veronicæ occursus.

COntemplare Veronicam Christo occurrentem: illumque linteo ad detergendam faciem sibi porrecto, vivam vultus sui imprimentem imaginem.

Expende eam Christi Veronicæ præstitam dignationem: Tuque etiam quantum potes eam Christi effigiem in te exprimere stude, tam exterius in corpore, in corde, in vultu, in ore, in fronte, in oculis, in sensibus externis &c. quam interius in anima, memoria, intellectu, voluntate. In memoria, ut passionis ejus illiusque ipsius semper memineris. In intellectu, ut idem cum Christo cogites, intelligas, judices, æstimes. In voluntate, ut idem velis quod ipse: ut illum semper ames, illum spires &c.

Colloquium & affectus ad Christum: Offerendo te illi ad subeundas omnes cruces, etiam gravissimas in Religione: Simulque petendo gratiam & auxilium illas heroicè subeundi ac perferendi. Cum aspiratione: auge

auge dolores, auge cruces, sed simul auge patientiam, ac robur.

MEDITATIO LXXIII.

De Christo Domino inter duos latrones crucifixo.

FUndam: Prophetia Psal: 21. *Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Item locus ejusdem Psal: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Item locus Zachar: 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Item Jerem: 11. *Mittamus lignum in panem ejus & eradamus eum de terra viventium.* Item Isai: 53 *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.*

Prælud: 1. Constitue te in monte Calvariæ, spectantem totam crucifixionis Christi Tragædiam.

Præludː 2. Pete gratiam cordialiter compatiendi Christo crucifixo, ejusque cruci cum Apostolo spiritualiter teipsum configendi.

PUNCTUM I.

Denudatio ac inspectio Christi.

COnsidera, quomodo locus Psalmi in Christo impletus sit: *Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

Atque contemplare Christum in monte Calvariæ, inter lictores consistentem, imperio satellitum exuentem se vestibus, ita ut plane nudus in conspectu congregatæ multitudinis comparuerit, quod quam grave Christo acciderit: hoc ipsum inter suas querelas primaque sua in monte Calvariæ tormenta, omissis aliis posuit, quod sic denudatus, oculis ac inspectioni populi patuerit.

Contemplare lictores eadem Christi vestimenta inter se dividentes, super vestem inconsutilem mittentes sortes.

Atque expende primo. Quænam tunc erat consideratio & inspectio nudati in monte Calvariæ Christi: *Consideraverunt me*, inquit, *& inspexerunt.* Habuere inprimis, quod inspicerent, quod considerarent ipsi lictores, ac ille totus populi spectatoris concursus: Si quid salutiferum seclusa vana curiositate inspicere ac considerare voluisset. Illam præsertim virgineam verecundiam, illam in patiendo æquanimitatem, infractam constantiam, heroicam ad obeundam mortem promptitudinem. Habuerunt, quod inspicerent considerarentve discipuli. Nempe tam luculentum in magistro omnium virtutum, ac præcipuè patientiæ invictæ exemplum. Habuit, quod inspiceret, nec non consideraret Sanctissima Mater. Si oculi tam doloriferum contemplari ac sustinere potuissent spectaculum: Nempe corpus illud, olim tam delicatè à se in domo Nazarethana tractatum, jam tot cicatricibus per violentam vestium detractionem innovatis, jam fædo livore omni ex parte deformatum. Habuit, quod inspiceret & consideraret Pater æternus, cujus Filius tam dilectus, in quo illi tantopere complacuit, tam crudeliter, tam malitiosè tractatus. Habuerunt, quod inspicerent Angeli: illorum hoc utique oculis gratissimum objectum, in quod desiderant prospicere. Sed heu pro deliciis ac solatiis amaras nimis lacrymas ex eorum oculis elicuit. *Angeli pacis amare flebant.* Habuit, quod inspiceret attentaque consideratione versaret cælum, ac terra, quod illud tot planetis ac stellis distinctum & exornatum, illa tot floribus & herbis convestita; Illorum autem Creator & Dominus non nudus tantum, sed & simul vulneribus toto corpore fædatus. Habet denique, quod inspiciat totum genus humanum, ac præcipuè peccatores tanti auctores spectaculi.

Inspice tu quoque cum attenta consideratione hæc ipsa

ipsa: Simulque expende secundo, quantus inter hæc fuerit amor paupertatis in Christo? quantus à Nativitate, ut sibi pauperem Matrem, vile stabulum ac præsepe, in quo natus deponeretur, elegerit. Quantus deinceps ejusdem amor, dum vitam privatam ageret in Nazareth. Quantus per triennium prædicationis Evangelii, ita ut de se diceret: *Vulpes foveas habent, & volucres nidos: Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Tandem quantus in morte, ita ut pauperrimus ne obolo quidem habito, ac nudus etiam mori voluerit. Percurre totam vitam Christi, omni ex parte pauperrimam Tuamque illi paupertatem confer: religiosam tibi ad usum concessam supellectilem excute: itaque te ad exemplum Christi compone, ut quantum potes pauperrimus vivas, & nudus moriaris.

Expende tertio, quomodo non aliter Christum crux receperit nisi nudum: ut vel inde conjicias: te quoque non aliter in cruce Christi, in cruce Religiosa persistere posse ac debere, quàm ut te omnibus exspolies ac denudes.

Expende quarto, quomodo Christus ægrè tulerit, quod ejus vestes sanctissimæ indignis ac sceleratis militibus obtigerint; ita ut apud Psaltem de hoc ipso fuerit conquestus: *Diviserunt sibi*, inquit, *vestimenta mea.* Atque hinc conjice: quanta illius ipsius indignatio adversus eos, qui sub veste Christi, sub veste Religiosa indigni ac scelerati latitant. Vide ne in te quoque ea cadat indignatio.

PUNCTUM II.

Confixio manuum, pedum ac crucifixio Christi.

COnsidera, quomodo locus ille Psalmi: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Item locus Jerem: *Mittamus lignum in panem ejus.* Item locus Zachariæ: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum:* quomodo, inquam, in Christo impletus est.

Ubi jam contemplare crucem illam trabalem, contemplare

templare clavos prægrandes obtusos, malleos, funes, cæteraque instrumenta ad Christum crucifigendum præparata.

Contemplare ipsum Christum supinum in cruce sterni, brachia extendere, manus clavis figendas porrigere. Jam hæc eadem brachia summâ vi à lictoribus extendi ac distrahi, usque ad dinumerationem ossium: manus, pedes transverberari immanissimè.

Tum erigi crucem, toto violenter commoto corpore, diduci corporis prægravantis pondere, manuum, pedumque cicatrices, & quatuor fontibus copiosum sanguinem effundi.

Funde lacrymas ad hoc spectaculum, admirare ineffabilem in Christo charitatem erga genus humanum. Admirare amorem crucis & patientiæ, quam tantopere Christus coluit, ita ut à nativitate, usque ad mortem, nullum interstitium, quo à patiendo, à cruce vacaret, habuerit, ac tandem in cruce voluerit mori: hinc ille de se apud Psaltem: *Ego in laboribus à juventute mea*, alii legunt: *Exspirans à juventute mea.*

Quo expenso: expende amplius supradictos locos Propheticos:

Ac inprimis, cur de transfixione manuum ac pedum Christi, hâc phrasi usus Psaltes: *Foderunt manus & pedes?* Terra ordinariè foditur, vel ad effodiendum, vel infodiendum aliquid, v. g. thesaurum. O verè quot thesauri in manibus ac pedibus Christi, latitant fodiunturque. Itaque ut indè hos tibi thesauros depromas: Sed simul thesaurum animæ tuæ, thesaurum cordis, ac omnia tua pretiosissima & charissima, ac te ipsum infodias, allabora.

Secundo: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* O si potius vulnera, cicatrices, livores, nostræ salutis causa suo Sanctissimo Corpori impressos dinumerassent. Dinumerassent inquam, velut pretiosam redemptioni nostræ impensam monetam.

Ter-

Tertio: quisnam *hic panis?* in quem lignum, (id est crux) dicitur immissum? *Mittamus*, inquit, *lignum in panem ejus?* Non alius certè, quàm voluntas Patris æterni, quàm passio ex voluntate ejusdem suscepta: *Cibus*, inquit, *meus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* O vere quisquis hoc cibo, hoc pane vescitur, ac delectatur, ad crucem sese omnino resolvat necesse est: panis hic absque cruce esse non potest, & crux absque illo desipit.

Jam quærenti Prophetæ: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Responde: sunt pignora redemptionis & salutis nostræ: sunt symbola Divinæ erga nos charitatis: sunt humanæ testimonia ingratitudinis: sunt sanctarum habitacula animarum: sunt Pixides cælestium adversus omnes ægritudines medicaminum: sunt repositoria omnium gratiarum, omnium cordium: sunt pretiosissima monilia & adamantes: sunt refugia in omnibus adversis, &c. &c.

PUNCTUM III.

Appensio Christi inter latrones.

COnsidera, quomodo locus Isaiæ in Christo impletus? *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est?*

Contemplare hic Christum inter duos latrones infamissimos medium pendentem. Atque admirare, quo illa Christi Sanctimonia, quo publica de illius Sanctitate opinio, quo fama integerrima devenerit? Vide, quid in te animi ad sustinendas Christi exemplo tuæ qualiscunque virtutis obtrectationes, bonæ opinionis, famæ diminutiones, jacturas, infamias: Si v. g. innocenter adnumeratus fueris indisciplinatis, factiosis, Regularum violatoribus, irreligiosis &c.

Atque hic contemplare secundo: unum ex his latronibus Christo improperantem, blasphæmantem: alium Christi innocentiæ vindicem: unum pænitentem, & salutis æternæ factum participem, alium impænitentem, damnatum,

tum, ex cruce temporali ad crucem æternam translatum. Admirare DEI judicia, atque expende: ŭtrumque in cruce pependisse, utrumque Christo æque proximum, utrumque in cruce mortuum. Uni crucem fuisse scalam ad Paradisum, alteri scalam ad infernum. Vide & time, ne te quoque crux religiosa invitè, coactè, impatienter, irreligiosè tolerata, eò, scilicet ad aliam, post hanc vitam, crucem, transmittat.

Expende quoque verba Prophetica: *Tradidit*, inquit, *in mortem animam suam.* Postquam, scilicet pro salute nostra, tradidisset corpus ad tot opprobria & tormenta, faciem ad colaphos & sputa, caput ad spinas, dorsum ad flagella, pectus ad concussiones, oculos ad spurcissimum velamen, ac sævos livores &c. manus & pedes ad clavos, famam & honestum ad tot ignominias, ludibria, criminationes, infamias, ita ut cum sceleratis, & pro scelereto reputatus esset: Tandem cum jam non haberet, quod daret, tradidit animam, adeoque se totum.

Vide, quantum debeas pro tanto?

Colloquium & affectus ex verbis Apostoli: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Amplectendo arctissimo amplexu Crucem Sanctissimam, verbis & affectu S. Andreæ Apostoli: *O bona Crux! quæ decorem ex membris Domini suscepisti &c.* Tum concludendo tenerrimo cordialis affectus sensu: *Amor meus JESUS crucifixus!*



ME-

MEDITATIO LXXIV.

De Potatione Christi felle & aceto: Oratione pro crucifixoribus ad Patrem: Recommendatione Beatissimæ Joanni, & viceversa.

FUndam: Prophetia Psal: 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea, potaverunt me aceto.* Item Isai: 53. *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Item Thr: 3. v. 5. *Ædificavit in gyro meo, circumdedit me felle & labore:* vers: 8. *Sed & cùm clamavero & rogavero, exclusit orationem meam.*

Prælud: 1. Statue tibi ante oculos mentis Christũ Dominum in cruce pendentem, felle & aceto potatum, orantem pro crucifixoribus, Matrem Joanni commendantem.

Prælud: 2. Pete gratiam ex his mysteriis fructum spiritualem decerpendi ac percipiendi, scilicet gustum in amaritudinibus religiosæ vitæ, gustum amoris inimicorum, æstimationem Patrocinii, & affectus Beatissimæ Parentis.

PUNCTUM I.

Degustatiô fellis & acetî

COnsidera, quomodo locus Psalmi impletus sit in Christo: *Dederunt in escam meam fel.*

Ubi inprimis audi Christum clamantem: *Sitio.* Tum contemplare impios satellites fel & acetum illi propinantes.

Et hinc intellige sensum verborum illorum: *Ædificavit in gyro meo.* Quod inquam ædificaverit DEUS extremam Christi derelictionem ab omnibus amicis & solatiis, ut nullus circum circa esset, qui in siti etiam illa ei subvenire,

nire, vel auderet, vel posset: Solis impiissimis satellitibus in divexationem ipsius relictis ac immissis. Execrare illorum inhumanitatem & malitiam; atque te reflecte supra tuas sensualitates, nec non commoditates, in quocunque præsertim in cibo & potu: tum etiam super usum mortificationis ac memoriæ fellis Christi, & aceti in iisdem. Præterea reflecte te supra amaritudines vitæ religiosæ, eas eodem ipso felle & aceto condiendo.

Jam expende in hoc verbo: *Sitio*, Christum non tam potum quàm aliquid aliud desiderasse: nempe salutem totius mundi, omnium hominum, etiam reproborum quantum in illo fuit. Admirare tantam in illo etiam puncto de hominum salute, Christi sollicitudinem: ita ut quasi suæ salutis suique oblitus, humanæ meminerit, eique prospexerit. Vide, si Christi verus imitator es, non aliter te debere salutis animarum esse memorem, ita scilicet, ut tui ipsius tuorumque commodorum, ac pænè animæ tuæ obliviscaris. Quanquam forte utriusque misere oblivisceris.

Expende præterea hanc Christi immediatam fuisse ad mortem præparationem, nempe sitim salutis animarum, tum etiam degustationem fellis & aceti. Atque hinc conclude: neque te posse melius disponere ad tuam mortem, quam per id ipsum utrumque, scilicet zelum animarum, & amaritudinum vitæ religiosæ tolerantiam, ut his duobus immoriaris.

PUNCTUM II.

Oratio pro crucifixoribus.

COnsidera, quomodo locus Isaiæ in Christo impletus: *Pro transgressoribus rogavit.*

Ubi audiens ac perpendens Christum in hæc verba orantem pro suis crucifixoribus: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Attende dignam Filio DEI virtutem, tantum scilicet amorem inimicorum: & quidem non qualiumcunque, sed cruci & morti se addicentium: dum non

solum

solum veniam tanti criminis adversum se perpetrati orat, sed etiam ipsum crimen excusat : *Quia nesciunt*, inquit, *quid faciunt.* Si vero revera nesciunt, cur dicit : *Dimitte?* Ignorantia utique sicut culpam pænamque non incurrit, ita dimissioni fortassis ac veniæ saltem apud DEUM vix subjacet ? Quid igitur Christus apud Patrem exorat tantopere ? nisi quod hoc ipsum super abundantem ejusdem Christi pro inimicis sollicitudinem exprimat, eo ipso obviantis cuicunque non apud se tantum, sed apud Patrem quoque cælestem eorum culpabilitati : imo neque etiam adversum se aliquam eorundem ipsorum reputantis offensam & culpam. Vide, quomodo Salvatoris exemplo cum tuis inimicis tibi procedendum sit : ut non tantum illorum contra te perpetratis offensis simpliciter ignoscas : Sed etiam apud te, & apud alios, eosdem excuses, eorum in datis occasionibus patronus sis. Imo etiam uti Christus, offensas pro offensis non reputes. Eamque esse optimam ad mortem dispositionem : amorem scilicet, & quidem talem ut diximus, inimicorum : huncq; ipsum nescio, quàm sublimibus actibus, ac heroicismis ad agonem præsertim præparatoriis æquivalere.

Illud tamen horrendum adverte, quod in supra posita Prophetia additum : *Cum clamavero & rogavero exclusit orationem meam.* An non vero hæc oratio & clamor pro inimicis? quibus nec ipsa passio Christi, & copiosa redemptio profuit ad salutem, sed imo evasit ad perditionem. Vide ne in horum numero inveniaris.

PUNCTUM III.

Recommendatio Matris Joanni, & Joannis Matri.

CONtemplare sub Cruce Christi stantem MARIAM & Joannem, ipsumque Christum audi ad utrumque dicentem : *Ecce Filius tuus, ecce Mater tua.* Congratulare S. Joanni eam felicitatem.

Atque expende, quid Christo in illo complacuerit, ut

 illum

illum sui loco, Matri Sanctissimæ pro Filio commendarit, ac reliquerit? An non vero præter virginitatem aliaque, etiam id, quod fideliter crucifixo ejusque cruci adstiterit? Atque ad similes eidem S. Joanni virtutes, nominatim ad constantiam, tum & sortem similem enitere.

Colloquium & affectus primo ad Christū petendo ab eodem, ut te omnes vitæ religiosæ amaritudines, læto & alacri animo perferre faciat, ad eas te offerendo ac resolvendo: tum etiam amorem inimicorum in te accumulare dignetur. Deinde ad Beatissimam per illam formulam congregationis: Sancta MARIA Mater DEI, & Virgo ego &c. vel per illam oratiunculam: O Domina mea Sancta MARIA.

MEDITATIO LXXV.

De Triborio Christi agonizantis, & ipsa morte.

FUndamentum Prophetia Dan: cap: 9. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Item Isai: 53. *De angustia & de judicio sublatus est, abscissus est de terra viventium.* Item Zachar: 3. *Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei.* Item Psal: 21. *DEUS DEUS meus, respice in me, quare me dereliquisti.* Item Psal: 30. *In manus tuas commendo spiritum meum.*

Prælud: 1. Statue tibi Christum per tres horas in Cruce agonizantem.

Prælud: 2. Pete gratiam comparandi te ad agonem extremum exemplo Christi agonizantis.

PUN-

140

PUNCTUM I.

COnsidera, quomodo Prophetia Danielis, ac Isaiæ, de morte Christi impleta? Scilicet *post hebdomades 62.* &c. Item *de angustia & judicio* &c. Id enim defacto evenisse palam est.

Prophetia de Christo, & circumstantia mortis, & agonis ipsius expenduntur.

Ubi expende primo, cur post narrationem de nece Christi, sequitur Prophetia de interitu Judæorum. Nempe non omnibus salutifera mors Christi fuerat: aliis salutem ac liberationem, aliis exitium paritura. Vide, ne tibi quoque damnationi sit.

Expende secundo, quid est, quod dicitur: *De angustia & judicio sublatus est?* nempe, quod illi per exquisitissima tormenta & iniquissima judicia vita fuerit erepta: vel quod ipsa mors de tantis tormentis & judiciis malevolorum fuerit ejus liberatrix. Ubi tu quoque desidera, non aliter quam per insignes quo ad omnia ac famam ipsam passiones, torturas & angustias, vitam pro Christo exigere.

Expende tertio id quod additur: *Abscissus est de terra viventium.* Advertendo in eo trabalem Judæorum expressam malitiam, ita erga Christum malevolorum, etsi nihil adversus eum causæ justæq;offensionis habuissent,ut nō illū tantum, sed nomen etiam ac memoriam ejus vellent de terra quodammodo exscindere ac eradere. Disce hic injustas quorumcunque adversum te malevolentias æquo animo ferre, & in illis solatium à Christo similia perpesso, petere. Nisi quod in prædictis Prophetæ verbis, insignis quoq; Christi erga terrigenas fuerit expressus amor, quo ita fuit illis conjunctus, ut quasi violenter ab eis abscindi debuerit: Proinde hunc quoque ejus amorem præsertim erga ingratos æstima.

Expende vero quarto circumstantias mortis, & agoniæ Christi.

Prima, quod Christus non brevi temporis spatio, sed per tres horas agonizare voluerit. Ita scilicet Christum

 patiendi

patiendi desiderio arsisse, ut tantis tormentis & passionibus minimè exsatiatus fuerit, ita ut etiam tanto agonis intervallo, dolores crucis voluerit protrahere. Vide quam longe distet tuum pro Christo patiendi desiderium: quam tibi in animo sit non protrahendi, sed contrahendi tempora & occasiones patiendi.

Secunda circumstantia, quod juxta Prophetam: *Satan adstiterit à dextris ejus, ut adversaretur ei*, hoc est, tentaret Christum, diciturque ille fuisse Satan, qui eum tentaverat in deserto, & quidem ipse Luciper. Vide si hæc in viridi, quid de te misero homuncione fiet in morte, quæ te tentationes manent, quomodo eis resistes? quibus in vita tam facile toties succumbis

Tertia circumstantia, illa de Patre querela: *Ut quid dereliquisti me?* Ubi expende, quomodo Christus in tanta desolatione mori voluit, ut ab omnibus derelictus, omnibus solatiis privatus, etiam à Patre suo æterno derelictionem sui in tanto articulo sustinuit. Vide, ut ad similem desolationem in vita & morte te resolvas.

PUNCTUM II.

Aliæ circumstantiæ.

COnsidera alias mortis & agoniæ Christi circumstantias.

Scilicet illam, *qua spiritum suum in manus DEI Patris commendavit.* Et verè defacto Pater æternus commendatum speciali affectu & dilectione excepit. Vide cui tu quoque tuum spiritum in morte commendes: quis tuam animam tot peccatis fædatam suscepturus sit.

Quinta circumstantia, qua contestatus est Christus illa voce: *Consummatum est!* hoc est, quod ad amussim voluntatem Patris æterni, Prophetias, oracula, figuras impleverit: Vide Religiose ut simile quid in morte tua possis secure & audenter profiteri. Nempe, quod consummaveris, impleveris omnes regulas, vota, opus salutis humanæ,

ad quod vi instituti tenebaris, ac prorsus omnia vocationis ac Religionis tuæ.

Sexta circumstantia: *Quod clamans voce magna, & inclinato capite emisit spiritum.* Id ipsum contestans, quod tunc etiam ipsi animus, ac desiderium non deesset, clamorosissima orbem totum prædicatione alloquendi. Tum etiam, quod sicut in tota vita singulariter humilitati fuerat addictus, id ipsum quoque in morte capitis inclinatione exercuit: aut certè ut ejusdem capitis submisso annutu Patris æterni voluntatem adoraret.

Vide, quis in te quoque ad prædicandum Christum sit animus? quis humilitatis amor? quæ divinæ voluntatis observantia?

PUNCTUM III.

Considera reliquas mortis Christi circumstantias. *Circumstantia reliquæ.*

Qualis fuit *solis obscuratio, & tenebræ factæ.* Nempe Christum ita non tantum suam vitam absconditam, sed etiam mortem obscuram non illustrem habere voluisse, ut sic Filius Patrem æternum clarificaret. Hinc tu quoque te resolve, ne mors tua extrinsecus quidpiam præclari habeat, sed solum ut intrinsecus morte Sanctorum moriaris: & in amore DEI actuali exspires. In vita quoque illud age, ne lucem ullam ac celebritatem tui affectes, sed in angulo religioso velut in tenebris obscurus vivas. Nisi quod ille solis occasus ac tenebræ, non in modicam lucem & gloriam Christi evaserint, multumque illustraverint eundem: ut vel hinc discas quantum DEUS illos in futura saltem vita clarificet, qui propter eum obscuri vivere volunt.

Circumstantia 8va: Scilicet, *quod velum templi & petræ scissæ, animæque Sanctorum, seu aliqui redivivi è sepulchris egressi, multi pectora percutientes pœnituerint.* Ubi expende prodigiosam mortis Christi efficaciam, quæ ut in tuo quoque cor-

 de

de, petris, & adamantibus duriore locum habeat, utq; si DEO per peccatum mortuus es, morte Christi reviviscas, dignosque fructus pænitentiæ ante mortem agas: enixè supplica.

Nona circumstantia, scilicet, quod in præsentia Matris Beatissimæ Christus spiritum reddiderit. Implora tibi hanc felicitatem in morte tua, singulis præsertim Angelicis salutationibus, habita speciali reflexione ad illa verba: *Nunc & in hora mortis nostræ.*

Colloquium & affectus ad Christum agonizantem concludatur illâ oratione Ecclesiæ: *Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, qui hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti, & Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum paradysi januas nos gaudenter introire concedas.*

MEDITATIO LXXVI.

De Transfixione Lateris Christi.

FUndam: Locus Zachariæ Prophetæ cap: 12. à Sancto Joanne citatus in Evangelio: *Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Videbunt in quem transfixerunt.*

Prælud: 1. Constitue te in monte Calvariæ, spectantem transfixionem lateris Christi.

Præluď: 2 Pete gratiam cordialiter compatiendi cordi Christi: illudque ex corde amandi.

PUNCTUM I.

Transfixio lateris Christi ejusque causæ.

COnsidera, quomodo hic locus Propheticus in Christo impletus: *Videbunt in quem transfixerunt.*

Atque expende inprimis ingentem ausum hujus militis cor Christi transfigentis. Ac similes etiam ausus no-

stros

ſtros in idem cor, per illa ſcilicet peccata extremæ malitiæ ac deliberationis, per peccata ingratitudinis, poſtpoſitionis DEI rebus creatis, contemptus gratiarum, per ſacrilegas confeſſiones, communiones. Vide an hujus auſus tu quoque complex non fueris, vel non ſis?

Jam expende cauſas, ob quas ſibi Chriſtus latus aperiri lanceâ permiſerit.

Primoque, fuiſſe cauſas peccata cordis noſtri, illos videlicet amores inordinatos, affectus ad terrena, concupiſcentias, appetitus pravos &c. Vide an tu quoque per ſimilia, cauſa transfixi cordis Chriſti non extiteris?

Secundo, ideo Chriſtum voluiſſe ſibi aperiri latus, ut in omnibus noſtris adverſitatibus & afflictionibus haberemus ad illud recurſum. Vide, quo tu in tuis anguſtiis & ærumnis recurras?

Tertio, ut notiſſimum in omnibus tentationibus, ac inſultibus diaboli, haberemus refugium ac propugnaculum. Vide quis in te ad hoc aſylum in tentationibus recurſus?

Quarto, ut præbens ſuum cor ad transfigendum pro nobis, noſtrum cor ſibi per hoc conciliaret, ac nanciſceretur. Vide cuinam tuum cor toties in poſſeſſionem cedat, Chriſtone? an mundo, diabolo? &c.

PUNCTUM II.

COnſidera è latere Chriſti *Sanguinem & aquam fluxiſſe.* Atque hic etiam illam Prophetiam expletam, qua de cornu ſeu latere altaris, an Domus DEI aquæ manare debuerant.

Sanguis & aqua de latere transfixo manans, & causæ hujus.

Ubi expende cauſas hujus ipſius.

Primo, ut ſcilicet reliquum ſanguinis, quod circa cor latebat profunderet ex amore noſtri, nihil amplius, etiam humoris aquei, ſanguine jam deficiente reſervans. Exardeſce in mutuum Chriſti Domini amorem, ac proteſtare, quod

quod nihil velis retinere, quod non sis paratus prodigere ex amore ejus: ac propterea reflecte te supra abnegationem mundi omniumque rerum terrenarum, ac tui etiam ipsius, an non sit adhuc aliquid, quod non abnegaveris & prodegeris propter Christum?

Secundo Ideo sanguinem fluxisse cum aqua: quia hic fuit lavans & dealbans. Confundere, quod in tuum cor & animam, toties hic sanguis fluxerit, interim tot fœditatibus scateas.

Tertio, fluxisse hunc sanguinem cum aqua in terram, nempe multos fore, esse, ac fuisse, quibus nihil sanguis hic, profuturus sit ad salutem: æque ac terræ illi in quam defluxit. Vide an non sis è numero talium?

PUNCTUM III.

Reflexiones ex occasione Prophetiæ de transfixo latere Christi.

CONsidera hæc ipsa verba Prophetiæ: *Videbunt in quem transfixerunt.*

Ubi expende primo, quid est, quod cum unus Christi latus transfixisset, id ipsum pluribus adstruitur? An non ideo, quod unius sæpe scelus ac infamia, in plures redundare consuevit: præsertim si de Clero vel Religione sit. Vide ne simile quid ex te quoque redundet.

Expende secundo, quod dicitur: *Videbunt*, & quidem postquam transfixerunt, ac si ante transfixionem, vel in transfixione non vidissent. Nempe sic non raro excæcare malitiam, ut non nisi post peccatum, & in pœna oculos aperiat. Quodsi hic cum prævia adversione & visione facta hæc eadem transfixio, tanto hæc ex eo ipso exaggeratior malitia & scelus. Vide ne malitiæ similis in te locus sit.

Atque expende tertio prædictam Prophetiam in literali sensu de Longino intelligi: qui cum monoculus esset, in transfixione lateris Christi visum in oculo, quo excæcatus fuerat recepit, ac in Christum credidit. Vide hic in-

effa-

effabilem cordis Christi bonitatem, quomodo pro vulneribus rependat beneficia.

Introspice per apertum latus idem sanctissimum cor, cumque corde tuo compara: dispiciendo qualenam cor Christi, & tuum quale? Tum etiam dispice & confer injurias & vulnera cordis Salvatoris ab inimicis & peccatoribus illata, cum injuriis & doloribus cordis tui.

Pro colloquio Oratio: *Anima Christi sanctifica me &c. aqua lateris Christi lava me.* &c.

MEDITATIO LXXVIII.

De Exinanitione Christi in vita, passione & morte.

FUndam: Prophetia ex Psal: 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Item Psal: eod: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Item Isai: 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Item Psal: 21. *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* It: Ps: 38. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.*

Prælud: 1. Statue tibi Christum, prædictas Prophetias de se proferentem, & ad similem exinanitionem temet invitantem.

Prælud: 2. Pete gratiam ediscendi ac imitandi eandem.

PUNCTUM I.

Exinanitio Christi quoad esse Divinum, seu divinitatem.

COnsidera, quomodo hi loci Prophetici in Christo adimpleti? nempe non aliter, quam per extremam exinanitionem sui in vita, passione & morte.

Certè enim cùm ille assumptâ naturâ humanâ in altitudinem maris, id est hujus mundi & vitæ venisset, ita,

 ma-

maxime per tempestatem passionis demersus est, ut nihil ex eo, quod ipse erat apparuerit.

Atque hic ulterius expende locum Psalmi: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Ubi per limum profundi intellige corpus & naturam humanam, tum etiam passionem, & mortem Christi despicabilem: per amissionem substantiæ, intellige exinanitionem ejusdem Christi, exinanitionem inquam inprimis, quod ad esse Divinum seu Divinitatem illius, atque attributa ejusdem Divinitatis. Hæc enim tota substantia in limo prædicto corporis, & naturæ humanæ, tum passionis & mortis, ita exinanita est, ut nihil Divini apparuerit in Christo. Idque expressisse Apostolum his verbis: *Qui cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem DEO, sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Atque hic expressa exinanitio Divinitatis, seu forma DEI usque ad formam servi, usque ad similitudinem hominum simplicium, usque ad habitum hominis, usque ad illas tot blasphæmias Judæorum, qui illum non pro DEO, non pro DEI Filio, sed pro simplici homine, ac filio Fabri agnoscebant, ut talemque proclamabant, ut propter id etiam, quod se Filium DEI nominaret, morti & tot opprobriis eum addixerint.

Jam percurre omnia attributa Divinitatis: immensitatem, omnipotentiam, immortalitatem, impassibilitatem, omniscientiam, impeccabilitatem, sapientiam, bonitatem, justitiam &c. Atque expende, quomodo se Christus depresserit ac exinaniverit, quo ad hæc omnia tam in vita, quam in passione & morte. Ubi totam ejus vitam & passionẽ percurrere poteris, cum accommodata ad teipsum eundo per singula reflexione.

PUN-

PUNCTUM II.

COnsidera, quomodo se Christus exinanivit, quoad esse hominis.

Exinanitio Christi quo ad esse hominis physicum seu naturale.

Et inprimis quoad esse physicum seu naturale præsertim quoad bona corporis: hæc & tanta in suo corpore passus in capite, facie, oculis, manibus &c. ac omnibus membris, omnibus sensibus, ita per flagella, alapas, sputa, concussiones &c. *attritus propter scelera nostra*, ut nec vestigium hominis in illo appareret, uti de se ipsemet apud Psaltem: *Ego vermis & non homo.* Ac tandem etiam esse hominis per mortem amisit.

Jam quoad bona animi, & quoad esse morale, quanta Christi exinanitio, præcipuè quoad debitum sibi honorem, famam, æstimationem, sapientiam, & prudentiam humanam, talenta &c. ut planè opprobrium hominum esset, & abjectio plebis, ac etiam pro stulto reputaretur.

Nec minus quo ad bona fortunæ, ita ut præter alia in vita perpessa, nudus etiam in cruce mortuus sit. Unde dicitur non simpliciter, & quomodocunque corruptus, despoliatus, depretiatus, sed *attritus*. Dum enim aliqua res conteritur, non tantum ejus accidentia disparent, sed ipsa etiam substantia videtur annihilari: ita ut solus pulvis & cinis residuus appareat, sicuti illud ad hominem: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Expende hæc omnia, decurrendo pariter vitam & passionem Christi, cum debitis ad te ipsum reflexionibus.

PUNCTUM III.

COnsidera exinanitionem Christi, quoad esse supernaturale.

Exinanitio Christi, quo ad esse supernaturale.

Præcipuè quo ad sanctimoniam, cum non tantum pro sancto, & utcunque probo non haberetur, sed imo reputaretur pro sceleratissimo.

Jam

Jam quo ad miracula, quæ pro imposturis habebantur, & quod ea in Beelzebub patraret.

Tum quo ad alia innumera DEI dona & gratias, quæ in illo aut non agnoscebantur penitus, aut blasphæmiis & calumniis impetebantur.

Hinc idem Christus in persona Davidis ad DEUM Patrem: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Id est non tantum exinanitus sum in donis naturalibus coram hominibus, sed etiam coram te, id est, in donis supernaturalibus, quæ DEO patent potissimum.

Vide, & audi hæc & tanta, simulque facta ad te reflexione, in multis erubesce.

Colloquium & affectus sit ex prædictis locis Propheticis, à te usurpatis, & ad te ipsum detortis cum oblatione tui, ac resolutione heroica ad extremam exinanitionem, quo ad omnia. Demergar Domine in profundo omnium amaritudinum, passionum, opprobriorum. Infigar in limo omnium contemptuum, depretiationum. Atterar linguis, convitiis, contumeliis, dentibus. Conculcer, ut vermis ab omnibus &c.

MEDITATIO LXXVIII.

De Virtute Patientiæ.

FUndam: Visio per somnium Pincernæ Regis Ægypti Pharaonis Gen:40. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas & post flores uvas maturescere, calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Interpretatio hujus visionis: *Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum.*

Præludium primum ordinarium.

Præ-

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi fructus patientiæ, eamque sectandi.

PUNCTUM I.

COnſidera in hac viſione adumbrari virtutem patientiæ: cujus optimum ſymbolum vitis alligari, vinciri, circumcidi, atque ita creſcere ac propagari ſolita. *Gradus patientiæ.*

Atque hic per tres propagines, intelligi tres gradus patientiæ: primum pati quæcunque acciderint. 2dum: pati cum gaudio, tripudio, exultatione & ſatisfactione animi ſpeciali. 3tium deſiderare amplius ampliusque pati, & occaſiones patiendi quærere, ſineque illis tædio affici.

Vide ad quem gradum tua patientia evaſerit?

PUNCTUM II.

COnſidera fructus & motiva virtutis patientiæ, adumbrata in gemmis, floribus, uvis hujus vitis: calice porrecto Pharaoni, reſtitutione in gradum priſtinum. *Fructus & motiva patientiæ.*

Inprimis enim, quot ex hac vite prodeunt gemmæ virtutum, præcipuè humilitatis, quæ maximè propagatur adverſis, quot merita, quot dona ſupernaturalia & gratiæ: præſertim quod DEUS ſpeciales gratias occaſionibus patiendi alligare conſueverit. Jam quantum præmium patientiæ in Cælo. Quantum ſolatium in morte ac æternitate. Quanta diminutio aut ſublatio pœnarum purgatorii, ita ut recta ad cælum tendere poſſis, ſi exactè omnia adverſa ſuſtinueris. Quam evidens ſignum amoris DEI erga te, quem enim DEUS caſtigat, diligit: ſignum prædeſtinationis, milleque alia ſolatia ſpiritualia. Reſtitutio hominis peccatoris in gradum priſtinum, ſcilicet in gratiam DEI &c. Præter hoc, quod ſecuriſſima via ſit ad ſalutem, via patientiæ & crucis.

Conſidera & alia motiva virtutis patientiæ, nempe ſpe-

specialem gustum DEI in nostris adversitatibus; ita ut erga calicem nostrarum passionum, velut ex siccis uvis expressum singularissime afficiatur, illumque de nostris manibus tanquam singulare pignus accipiat. Jam exemplum Christi patientis, Beatissimæ Parentis: Exempla tot Sanctorum Martyrum, Confessorum, Jobi, Eustachii, Lidvinæ &c. Huc pertinet memoria novissimorum, mortis, inferni, Judicii, æternitatis utriusque, bonæ & malæ, quæ omnia maximè nos ad perferendum quævis adversa movere ac animare consueverunt. Quid? quod nullus in toto mundo sit, qui non patiatur aliquid, & quidem in omni statu, conditione hominum. Præterea, quod Religio sit status patientiæ, humiliationis. Quid illud? Ad quid venisti? Recordare tandem tot peccatorum tuorum, pro quibus aut in hac vita, aut in alia satisfaciendum est. Quæ autem compendiosior satisfaciendi via & modus, quam per patientiam adversorum quorumvis. Quanquam velis nolis, pati omnino debes: quamdiu vivis crucem non effugies: nonne igitur melius sponte, libenter, hilariter, cum merito, quàm invitè, serviliter, dejecto animo pati?

His expensis, anima te quantum potes his fructibus & motivis, ad patiendum pro DEO, & tua salute quævis etiam gravissima.

PUNCTUM III.

Fructus impatientiæ.

COnsidera primo fructus, seu damna impatientiæ: nempe jacturas meriti, præmii, tot gratiarum, & solatiorum spiritualium. Tot turbationes, anxietates, melancholias, amaritudines, augmentumque ærumnarum, crucisque ad cruces additamentum continuum. Inquietudines cum superioribus, æqualibus. Hinc vacillationes in vocatione, tædia vitæ Religiosæ &c.

Occasiones patientiæ.

Consid. ra secundo occasiones patientiæ.

Et hæ sunt primo ex parte corporis: defectus in cibo, potu,

potu, amictu, habitatione: morbi, alterationes, defatigationes, incommoda.

Ex parte animæ: ariditates, inclinationes ad malum, tentationes, suggestiones, cogitationes importunæ, motus inordinati, scrupuli, &c.

Ex parte aliorum hominum: diffamationes, detractiones, odia, invidiæ, censuræ, murmurationes, sugillationes, exagitationes &c.

Ex parte superiorum: dispositiones, imperia non ad mentem, animadversiones, admonitiones importunæ, malevolentiæ, suspiciones &c.

Ex parte calamitatum publicarum: mortes amicorum, consanguineorum, infortunia, bella.

Ex parte temporum: frigus, calor, æstus, gelu &c.

Ex parte aliarum rerum creatarum: muscæ, culices, pulices &c.

Vide, ut ex his omnibus meritum ac præmium insigne colligas.

Colloquium & affectus ad Christum patientem, ad Beatissimam Dolorosam, ad SS. Martyres, ad eos Sanctos quos insignior patientia exercuit, ut te ejusdem suæ patientiæ & præmii efficere dignentur participem.

MEDITATIO LXXIX.

De vita mortificata.

FUndam: Locus Zachariæ cap: 11. *Ubi ex jussu DEI, dicit se assumpsisse duas virgas: unam inquit vocavi decorem: alteram funiculum.*

Prælud: 1. ordinarium.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi fructus & emolumenta spiritualia vitæ mortificatæ, in illaque proficiendi.

PUN-

PUNCTUM I.

Duplex mortificatio.

COnsidera vitam Religiosam secundùm Ascetas esse longum martyrium : Ideoque expende, in quonam hoc martyrium consistat? Nempe in eadem vita Religiosa, omni ex parte mortificata. Hanc autem mortificationem adumbrari in his duabus virgis Propheticis.

Duplicem enim esse mortificationem, mortificationem videlicet externam, hoc est mortificationem corporis, sensuumque externorum, per disciplinas, jejunia, abstinentias aliasque afflictiones. Et mortificationem internam, hoc est mortificationem ipsius animæ, passionum videlicet, affectuum, inclinationum, habituum &c.

Hæc vero duplex virga seu mortificatio hominem Religiosum Martyri similem efficit, imo alterum Martyrem : si enim unius ictu gladii, vel alterius instrumenti, si unius vel alterius momenti spatio, non unus Martyr egregius evasit. Quid de tot annorum mortificatione, disciplinis, jejuniis &c. dicendum est?

Vide quis in te hujus Martyrii usus?

PUNCTUM II.

Qualis hæc utraq; mortificatio requiritur.

COnsidera hominem Religiosum huic martyrio & mortificationi deditum, debere esse non quomodocunque mortificatum, non in parte, sed mortificatum in toto, & ex toto, quo ad omnia membra, omnes sensus, passiones, appetitus, affectus &c. Plane non aliter, quàm in ædificio & fabrica contingit, quod dum erigitur; à fundamentis ad apicem usque applicatur ei funiculus, arundo, aut quodvis aliud instrumentum illius directivum : aliàs sicubi hæc applicatio arundinis vel funiculi abesset, absque dubio hoc ipsum in sua rectitudine & venustate deficeret, illa ipsa parte & loco intortum & deflectens. Talem igitur funiculum, talem virgam mensoriam, ac directivam mortificationem

nem cogita, toti corpori, toti homini Religioso, quo ad omnia ejus constitutiva interna & externa applicandam. Qualis de facto ipse caput Martyrum Christus, in quo *à planta pedis usque ad verticem capitis non erat sanitas*, qui plane totus & in omnibus passus, in toto corpore, anima, fama &c.

Vide, an tale apud te martyrium, nempe martyrium totius corporis & animæ: an vel unum membrum, una passio satis mortificata?

PUNCTUM III.

Considera motiva & fructus mortificationis utriusque. *Motiva & fructus mortificationis utriusque.*

Atque expende primam virgam dictam *funiculum*, per eamque adumbratam mortificationem externam intellige: quæ plane adinstar funiculi trahit nos ad amorem virtutis, ac omnis boni, fortius nos DEO ac Religiositati obligat & adstringit: rebellem partem inferiorem velut captivam mancipat in obsequium partis superioris, in eoque obsequio detinet.

Jam quoad virgam dictam *decorem*: intellige adumbrari mortificationem internam, quæ incredibili decore animas & conscientias hominum religiosorum exornat, illa puritate animi, immunitate ab omni nævo, tot virtutum splendoribus & ornamentis.

Hinc percurre alia motiva, nempe quod mundus, dæmon habeat tot suos martyres, cur Christus non habeat, quos cælum pro stipendiis expectat?

2. Habes in desiderio martyrium propter fidem: cur te illo martyrio, quod in tua voluntate est, DEO non immolas?

3. Quo magis quis suum corpus hic in terra mortificat, acerbius & violentius tractat, eo majorem illius glorifica-

rificationem in cælo habiturus eſt: præcipuè in illis partibus corporis, quas præ aliis mortificaverat.

4. Si mortificationis nullus apud te uſus, ſcito de perfectione omnino tibi deſperandum eſſe.

Præ omnibus autem motivis Chriſti exemplum, Beatiſſimæ Matris, tot Sanctorum, Confeſſorum, Aſcetarum.

Ac denique expreſſa ſummarii de continua in omnibus mortificatione quærenda, Regula: quam accuratius expendes, videbisque quantum apud te hæc eadem motiva hactenus valuerint, & valeant.

Colloquium ſimile, quod in immediata meditatione: Scilicet ad Chriſtum patientem: ad Beatiſſimam Virginem Doloroſam: SS. Martyres, eosque Sanctos, qui inſigniori mortificatione excelluerunt præ aliis: petendo, ut te in conſortium ejus virtutis; mortificationis utique ſimulque ſui præmii admittant.

MEDITATIO LXXX.

De vita heroica.

FUndam: Viſio S. Joannis Apoc: 7. *Ubi vidit ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni amictos ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.*

Prælud: 1. ordinarium.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoſcendi rationem vitæ heroicæ, eamque in te exprimendi.

PUNCTUM I.

Vita heroica in quo conſiſtit?

COnſidera in hac viſione adumbrari vitam in Religione heroicam: quid enim aliud palmas, quàm inſignia victoriæ & heroum eſſe.

Hinc expende primo. Quid ſit & in quo conſiſtat

vita

vita in Religione heroica? Nempe in extraordinariis resolutionibus & victoriis sui ipsius.

Has autem resolutiones, ac victorias sui posse considerari dupliciter. Primo per ordinem ad peccata, ad passiones, inclinationes, habitus, tentationes superandas. Secundo per ordinem ad virtutes acquirendas, virtuosasque actiones exercendas.

Expende secundo actus heroicos rursus esse duplices, alios ex parte subjecti, alios ex parte objecti tales. Actus heroicos ex parte objecti esse resolutiones ad aliquid ex se arduum & difficile. Jam autem ex parte subjecti, esse resolutiones ad aliquid licet ex se nequaquam difficile & arduum, arduum tamen ex occasione alicujus repugnantiæ, aut circumstantiæ temporis, loci, personæ.

Tandem alios esse actus heroicos solum in intentione, in desiderio ardenti, in resolutione intentionali, ad nescio quæ difficilia & ardua: alios in ipso actuali exercitio, & praxi consistere.

Reflecte te, quis apud te actuum heroicorum usus? an vel unum saltem, vere actum heroicum in vita religiosa elicueris?

PUNCTUM II.

Considera primo in hac visione adumbrata motiva, & fructus vitæ heroicæ:

Motiva & fructus vitæ heroicæ.

Nempe primo, quod per actus heroicos sit compendiosissima, tam ad extirpandas passiones & vitia, ad acquirendas virtutes, & consequenter perfectionem, quam ad meritum & præmium cæleste via, & quidem ad præmium sublime. Hinc illos heroes S. Joannes vidit ante thronum ipsum stantes. Hinc etiam illud axioma spirituale, unum actum intensum & heroicum æquivalere multis remissis & non heroicis. Unde sine actibus heroicis vix

 possi-

possibile extirpatas plene habere passiones, ad perfectionemque evadere.

Secundo, quod eos heroes S. Joannes viderit in conspectu Agni. Nimirum, quod Christus, Dux noster heroibus Religiosis, eorumque actibus heroicis, tanquam singulari delectetur spectaculo.

Tertio, quod hi iidem heroes speciale in cælo præferant insigne, ut advertit S. Joannes, *palmas*, scilicet, *in manibus eorum*. Non aliter, quàm Virgines laureolam Virginitatis, Martyres lauream martyrii. Adverte vero sicut palmam à radice, & ultra esse asperam & incultam, in fastigio vero dulcibus fructibus abundare: ita vitam heroicam in eo non dissimilem: Proinde heroum insigne esse.

Per *stolas* etiam *albas*, quibus erant amicti, intelligi præmium puritatis conscientiæ, quæ per actus heroicos acquiritur.

Considera secundo, & alia motiva hujus vitæ heroicæ, nempe ex vi vocationis religiosæ. Religiosus enim perpetua naturæ violentia. Præterea ex vi tui proprii instituti, quo toties injungitur victoria sui. Atque ex vi ipsius etiam nominis, quod geris. Quid enim est esse socium JESU, quam heroem Religiosum. Quomodo auderes te JESU Socium, socium tanti Ducis jactare, si nihil heroicum conficeres. Quanquam simile quid de aliis Religiosis. Tandem *cælum vim patitur & violenti rapiunt illud*; hoc est Christi heroes.

Vide, quid in te hæc motiva proficiant? reflectendo te ad extirpationem passionum, defectuum, profectum in virtutibus. Et si in his te vacillare reperetis, hoc ipsum defectui actuum heroicorum adscribe.

PUNCTUM III.

Actus heroici in particulari.

COnsidera in particulari aliquos in vita religiosa actus heroicos.

1. Nolle aucupari ullius gratiam ex superioribus, æqua-

qualibus, domesticis, externis; præcisè in solum bonum tuum.

2. Non quærere ullam commoditatem propriam, ullum solatium & delectationem ex creaturis.

3. Peculiariter suis inimicis affici, pro illis orare, illis prodesse, benefacere, opitulari, eos defendere, excusare, &c.

4. Cuivis Superiori subesse: Nullum locum ac nullius regimen excusare, ad quodvis officium dispositionemque gravissimam se resolvere.

5. Non tantum omnes diffamationes, detractiones, censurationes, delationes, informationes iniquas, falsas suspiciones, calumnias, attributiones sibi alienorum defectuum æquanimiter ferre, sed imo ad illas te libenter offerre, illas desiderare, in illis non conqueri, excusationibus non uti, non se defendere, non expurgare, non illas retundere, diluere.

6. Velle esse centrum odiorum, linguarum, vilipensionum, postpositionum apud superiores, æquales, domesticos, externos.

7. Nullum præmium, nullum solatium, nullum respectum, nullam gratitudinem pro laboribus religiosis, nullum plausum intendere, & acceptare, sed imo desiderare vituperia, depretiationes, censuras &c. In reliquo quo ad hoc punctum, vide Exercitia Patris Danielis Pawłowski, simulque te reflecte quantum tibi animi insit ad prædicta?

Colloquium ad Christum petendo ab eodem, ut sicut te inter suos socios & commilitones adlegit, ita etiam tibi heroicos spiritus & animos inspirare dignetur.



ME-

MEDITATIO LXXXI.

De constantia, magnanimitate & fortitudine animi Religiosi.

FUndam: Visio S. Joannis Apoc: 10. *Et vidi alium Angelum fortem, descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tanquam columnæ ignis, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.*

Prælud: 1. consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendæ veræ ac solidæ magnanimitatis, constantiæ, ac fortitudinis religiosæ, ejusque assequendæ.

PUNCTUM I.

Facies & pedes Angeli Apocalyptici.

COnsidera non frustra hunc Angelum Apocalypticum dici fortem. Certè enim in illo egregiè adumbrari veram ac solidam magnanimitatem constantiam & fortitudinem religiosam.

Intende inprimis oculos in ejus vultum ac pedes. *Facies ejus*, inquit, *erat ut sol: pedes ejus tanquam columnæ ignis.*

Quo ad faciem sole resplendentem? Hæc planè est verè ac solide magnanimi, fortis, ac constantis hominis. Quid enim ipso sole pulchrius magisque ad vivum, fortem magnanimum & constantem virum exprimit? Videre est solem ab ortu, arduo nisu eluctantem, fugantem tenebras, præpotens noctis dominium triumphantem, adversas superantem nebulas, tot monstra ferarum, sive in Zodiaco, sive extra Zodiacum, innoxiè ac intrepidè transeuntem, omnia mundi inferioris speciosa, splendide, magnificè, ab alto

alto despicientem, tot spatia infatigabiliter & absque errore permeantem, ac tandem ad ipsum meridiem sese constantissimo passu efferentem. Jam à meridie, quasi contemptu & tædio summæ altitudinis infra demittentem se se, ac eodem tenore, quo ad summa ascenderat, descendentem ad occasum, demumque intrepido pergentem gressu, nec mutato vultu (ut ait Zeno Veronen:) *ad mortis cognatæ sepulchrum.* De illo Psaltes: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam à summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Et hæc plane talisque esse debet viri verè fortis magnanimi & constantis facies.

Applica ea ipsa ad eundem, simulque vide, quid in te ipso similis fortitudinis magnanimitatis & constantiæ?

Jamque ad pedes Angeli, qui dicuntur fuisse *tanquam columnæ ignis* procede: ibidemque adverte non minus notorium prædictarum virtutum symbolum in illis exhibitum: Quid enim firmius, robustius, stabilius, magisque infractum pedibus instar columnæ.

Quodsi attributa quoque ignis expenderis? in his etiam fortitudo, magnanimitas, constantia religiosa elucebit. Quis enim nesciat quantæ in hoc elemento ad agendum & sustinendum vires: quanta in eo ipso constantia: quanta naturæ igneæ sese ad cælum ferentis spernentisque terrena omnia sublimitas.

Quæ dum consideraveris, simul in te ipso similia requires.

PUNCTUM II.

COntemplare ornatum hujus Apocalyptici Angeli, de quo dicitur: *quod fuerit amictus nube: Iris in capite ejus.* Ubi etiam expressam fortis magnanimi & constantis viri effigiem agnosces. *Ornatus ipsius.*

Quid enim aliud est, nube imbrium, nivium, grandinum, tonitruum, fulminum bajulâ vestiri, & tamen Iride tot

co-

coloribus conſpicua, pacis & tranquillitatis ſymbolo fulgere?

Hæc autem iris præferebatur in capite: nempe illud caput non fuiſſe inquietum, turbulentum, ſed potius pacificum, tranquillum, nec alios inquietans, perturbans, nec ſe turbari, inquietari ullis viciſſitudinibus ſinens: quod ipſum fortitudinis & conſtantiæ eſt.

Vide, an in te quoque hic ornatus eluceat?

PUNCTUM III.

Reliqua adjuncta.

Contemplare reliqua hujus Angeli adjuncta.

Scilicet, quod *poſuerit pedem dextrum ſuper mare, ſiniſtrum ſuper terram.*

Ubi inprimis adverte, quam magni animi hic Angelus fuerit, qui ſupra mare etiam pedem ponere non formidavit: quantæ conſtantiæ, qui non tantum ſupra terram, ſed etiam ſupra inſtabile elementum, tam ſolidè tam ſtabiliter conſtiterit: Imo etiam utrumque nempe totum mundum terraqueum aut ſubjugaverit, aut magnanimo contemptu infra pedes poſuerit & conculcarit. Illud etiam poſitione pedis dextri, qui fortunam & proſperitatem ſignificat, ſuper mare: ſiniſtri autem ſuper terram, qui adverſitatem denotat, innuendo: fortunam & proſperitatem mundanam nimis in lubrico inque inſtabili loco, proximam naufragio, inter fluctus & procellas conſiſtere: terram autem adverſis ſubjectam eſſe.

Adverte ſecundo, quod non mirum fuiſſet, ſi hic Angelus tam ſolido & ſtabili gradu in cælo, ubi omnia ſtabilia, conſtitiſſet: Si ibi, ubi cuncta pacis ac ſerenitatis plena, iride ac ſole radiaſſet: ſed quia extra cælum, ex quo deſcendit, quia in terra, ubi omnia inſtabilia, tranſitoria, inquietudinibus & tumultibus pleniſſima, imo in mari etiam, ubi tot pericula, tot procellæ, tot naufragia: illud planè fortis magnanimi & conſtantis animi eſſe, quis non judicet?

Vide

Vide igitur, ut te quoque ad normam tanti Angeli in omnibus effingas.

Colloquium & affectus ex verbis S. Apostoli: *Quis me separabit à charitate Christi, &c.*

MEDITATIO LXXXIII.

De Christo Domino Resurgente.

FUndam: Visio Zachariæ cap: 3. *Ubi vidit JESUM Sacerdotem magnum sordidis vestibus, stantem ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit: Ponite Cydarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cydarim mundam super caput ejus, & induerunt vestibus.*

Prælud: 1. Imaginare tibi hunc JESUM Sacerdotem, juxta visionem Propheticam.

Prælud: 2. Statue tibi Christum è sepulchro resurgentem.

Prælud: 3. Pete gratiam resurgendi cum eodem Christo.

PUNCTUM I.

COnsidera in hac visione adumbratam speciem Christi resurgentis. **Hipotyposis Christi Resurgentis.**

Inprimisque contemplare corpus Christi in sepulchro depositum, totum lividum, vulneribus, plagis, cicatricibus undique sordidatum. Hinc imaginare DEUM Patrem cum stupore & admiratione, tam lugubrem scænam, tam miseram Christi sui faciem, tam vilia ac sordida filioque suo indigna, corporis ejus indumenta contemplantem, ac tandem simile quid dicentem ad circumstantes Angelos: *Auferte vestimenta sordida ab eo: Ponite cydarim mundam super caput ejus.* Ecce hic illico sua Angelos accelerare obse-

quia, Corpori Sanctiſſimo ab omnibus nævis emundando ſeſe impendere. Itaque illos omnes livores, illas omnes cicatrices, omnia plagarum, alaparum, ſputorum, ſpinarum, veſtigia evaneſcere, ſubitoque totum corpus fulgore reſplendeſcere. Hic animam Chriſti, repentinum lumen, & metamorphoſim admirari, Patri æterno gratias reddere, in corpus illud, è manibus & ſinu ejusdem æterni Patris, ſeſe alacriter demittere, in illud immigrare informareque illud, ut ante: atque ſic Chriſtum in conſpectu & præſentia Angelicæ militiæ redivivum conſiſtere: totum candidiorem nive, ſplendidiorem ſole, in capite coronâ gloriæ redimitum apparere, Patri æterno pro tanta ſui glorificatione reverentiam, gratiamque referre. Huc ad gratulandum certatim convolare Angelos, adſterni reſurgentis pedibus, imprimere oſcula. Huc eductos è limbo Patres ſimilibus certare obſequiis.

Quibus omnibus expenſis ad ſimilem Chriſto congratulationem te accinge. Pro opere redemptionis conſummato, & pretio Sanguinis liberaliſſime impenſo gratias exhibe, ſingulis Chriſti membris glorificatis oſcula imprime.

PUNCTUM II.

Comparatio Chriſti in Reſurrectione cum Chriſto in Paſſione.

COntemplare tu quoque Chriſtum redivivum.

Atque inprimis intuere redivivi corpus glorioſum, faciem, caput, oculos, pectus &c. comparaque illius omnes dotes & adjuncta, cum illis omnibus in paſſione deformitatibus, defœdationibus, ſputis, livoribus, cicatricibus; nec non expende quantum hæc illi omnia in reſurrectione abunde compenſata.

Intuere ſecundo Chriſti animam glorioſam, eamque compara, cum illa ipſa in paſſione exiſtente. Compara illos in horto Gethſemani affectus illius & paſſiones triſtitiæ, pavoris & tædii, illos contemptus, ignominias, opprobria, injurias, cum dotibus præſentibus, cum exaltatione & glo-

& gloria præsenti, cum affectibus gaudii, exultationis, laudis; & agnosce: quam pulchra, quam eximia vestimenta sordidis ac despectis substituta.

Jamque vide qualis cydaris pro spinea corona, nempe diadema Regi Regum, laurea victorum, victoriosissimo ac triumphalissimo reposita Imperatori.

Hacque ipsa comparatione absoluta, anima te ipsum exemplo Christi, ad gravissima quæque in corpore & anima subeunda, idque spe similis recompensationis, tam in eodem ipso corpore tuo, quam in anima, imo non alio motivo, quàm motivo amoris & gratitudinis erga Christum resurgentem.

PUNCTUM III.

COnsidera Christum redivivum esse Typum nostræ Resurrectionis, tam spiritualis, quàm etiam corporalis in fine mundi.

Christus Redivivus est Typus nostræ Resurrectionis.

Expende hîc omnes circumstantias Resurrectionis Christi, illasque utrique nostræ resurrectioni accommoda.

Colloquium & affectus ad Christum Resurgentem, petendo ab eodem, ut det tibi gratiam ad normam suæ Resurrectionis in anima tua, & conscientia à pravis actibus & habitibus resurgendi, nec postea unquam relabendi in eosdem.

MEDITATIO LXXXIII.

De Imitatione Christi Resurgentis, Quoad dotes Corporis gloriosi.

FUndamentum Visio ex Isaia Propheta cap. 63. quæ applicatur Christo Resurgenti: *Quis est iste? qui venit de*

Edom tinctis vestibus de Bosra : iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ, &c.

Prælud: 1. Imaginare tibi in ea specie Prophetæ exhibita Christum Resurgentem.

Prælud: 2. Pete gratiam imitandi & exprimendi eundem in te, quo ad dotes Corporis gloriosi.

PUNCTUM I.

Forma & pulchritudo Christi Resurgentis post Passionem.

COnsidera eluxisse ea omnia in Christo Resurgente, quæ in prædicta visione exponuntur.

Primo enim per Edom & Bosra intelligunt SS. Patres apud Cornelium à Lap: Judæam incredulam, in qua passus & resurrexit. Bosra etiam interpretatur *munitio*. Proinde non incongruè per illam potest intelligi sepulchrum Christi, quod Judæi *munierunt* (ut ait S. Mathæus) *signantes lapidem* appositâ militari custodiâ Secundo per tinctas vestes intelligunt iidem Humanitatem ejusdem Christi à Judæis in passione cruentatam, ac remanentibus etiam post Passionem ac Resurrectionem cruentis cicatricibus notatam. Tertio dicitur Christus : *Formosus in stola sua* : non enim deformavit illum Passio, sed imo formosiorem ac longe pulchriorem reddidit. Quarto dicitur : *gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Certe enim sicubi, profectò in Passione ac etiam in Resurrectione eluxit eximia ipsius fortitudo, qua & tot tormenta toleravit, & debellata morte, & inferno seipsum suscitavit à mortuis Hinc de illo S. Augustinus serm: 178. de tempore : *Ascendebat cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus. Viderunt cælites cuncti speciosum Vulneribus Christum, admirantes fulgentia Divinæ virtutis vexilla. Hic est ille candidus & roseus compunctus à multitudine. Hic est ille, qui non habuit speciem neque decorem, infirmus in laqueo, fortis in spolio : Vilis in corpusculo, armatus in prælio : fædus in morte, pulcher in resurrectione.*

Unde hic expende primo, quod nos quoque ad exemplum

plum Christi, non deturpent, non deforment quæcunque ignominiæ, tribulationes, tormenta & mortes ipsæ: Sed imo in oculis DEI & Cæli formosiores & pulchriores efficiant.

Expende secundo, quod etiam fortitudo Religiosa maximè in adversis heroice toleratis eluceat.

Vide quæ apud te Christi Resurgentis, quoad ista expressio?

PUNCTUM II.

Quatuor dotes Corporis gloriosi in Christo Resurgente earumque imitatio.

COnsidera primo quidnam ultra, Christum Resurgentem adeo formosum effecit? Nempe præter alia, quatuor dotes Corporis gloriosi: Claritás scilicet, impassibilitas, subtilitas, agilitas.

Claritas vero consistit in admirabili lumine, quod per & circa corpora gloriosa diffunditur: acsi nihil de opacitate & caligine quacunque haberent.

Impassibilitas consistit in eo, quod Corpus gloriosum nulli adversitati, passioni, vulneri, morbo ac morti sit obnoxium.

Subtilitas: quod ita Corpus subtile reddat; ut, acsi ossibus, carne, cute trinaque dimensione careret, quæcunque obstantia murata & clausa facile penetrare & transire possit.

Agilitas: quod per illam idem Corpus in minimo etiam temporis spatio, nescio quæ loci spatia, sive super terram, sive per aerem, ad Cælum usque Empireum, nihilo illud gravante, emetiri possit.

Hinc considera secundo, quod quilibet verus Religiosus isque verus pariter Christi Resurgentis imitator has easdem quatuor dotes, mysticè illas intelligendo, in se exprimere debeat.

Claritatem videlicet per puritatem Corporis animæ, conscientiæ, intentionis, per candorem Religiosum, per manifestationem sui sinceram superioribus, per specialem in-

intellectûs, præsertim in Divinis & Spiritualibus illustrationem, perspicaciam & peritiam: per prælucentiam aliis exemplo, vita, moribus, sanctitate: per illuminationem & instructionem aliorum, doctrinis, scientiis, & iis quæ ad salutem æternam pertinent; adeoque per exercitium zeli Apostolici circa animas hominum quorumcunque. Hinc illud Dan: 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ.*

Jam Impassibilitatem, per tolerantiam quorumcunq; laborum, incommodorum, adversorum, tormentorum, ærumnarum, injuriarum, calumniarum, infamiarum, morborum &c. heroicam & invictam.

Tum Subtilitatem, per extenuationem sui extremam idque per omnia genera mortificationum, macerationum, & abstinentiarum.

Tandem Agilitatem, per obedientiam exactissimam & promptitudinem omnimodam ad quosvis nutus DEI & superiorum in rebus etiam arduissimis.

Vide, quænam apud te, & in te horum omnium expressio ac imitatio?

PUNCTUM III.

Opposita quatuor præfatis dotibus.

CONsidera opposita his quatuor dotibus, eaque in te ipso speculare, ac eliminare stude: ut sic ad veram Christi Resurgentis, præsertim quo ad dotes easdem, imitationem pervenias.

Colloquium & affectus ad Christum Resurgentem: gratulando ipsi tot & tantas dotes & glorificationes, quibus in sua Resurrectione refulsit: tum petendo, ut dotes easdem quas per imitationem ejusdem Christi, juvante ipsius gratia & auxilio in te exprimere conaris in hac vita mortali, postea in Resurrectione mortuorum in gloria Cælesti tibi concedere dignetur: ut tunc in similitudinem plenitudinis ipsius cum aliis beatis appareas.

MEDITATIO LXXXIV.

De Christo ascendente in cælum.

FUndam: Visio Davidis Prophetica Psal: 23. quæ vidit in spiritu Christum ascendentem in cælum Audivitque illas voces in ejus ingressu: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ: Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

Prælud: 1. Apprehensio & imaginatio istius visionis.

Prælud: 2. Pete gratiam expendendi mysterium ascensionis Christi in Cælum, eòque toto corde & conatu aspirandi.

PUNCTUM I.

COnsidera hoc loco Psalmi expressam ascendentis Christi in cælum pompam.

Christus terræ valedicens & à terra sublatus.

Atque inprimis contemplare Christum valedicentem Matri Beatissimæ, Apostolis, discipulis, salutaria monita illis relinquentem, benedictionem suam impertientem, eidem Matri Beatissimæ, Apostolis, & universam suam protunc Ecclesiam commendantem.

Jam impressis in monte pedum suorum vestigiis, nube infra pedes suos demissa, ad cælum sese ferentem, obviam venientes Angelos magno Christum ascendentem deducentes comitatu & plausu. Tandemque ipsum Christum oculis Apostolorum disparentem.

Ubi expende quinã tunc affectus fuerint in Beatissima Matre, in Apostolis, aliisque Christi discipulis.

Tum oculos in relictis ejusdem Salvatoris vestigiis defige,

defige, causam impressionis eorum expende: te ipsum ad sequenda hæc eadem Christi vestigia excita ac resolve. Ac tandem etiam exemplo Christi elevati a terra, te quoq; tuosque omnes affectus, appetitus, sensus, à terra, rerumq; terrenarum amore eleva, ut non nisi quæ sursum sunt quæras, quæ sursum sunt sapias, non quæ super terram.

PUNCTUM II.

Christus ad portas cæle-stes.

COntemplare Christum post tot emensa à terra ad cælum usque spatia, tandem portis cælestibus appropinquantem. Imaginareque te audire voces illas Psalmi: *Attollite portas Principes vestras &c.*

Ubi expende primo his vocibus exprimi pompam & numerosissimum ingressum Christi in cælum tot secum Patriarchas, Prophetas &c. ab Adamo usque deducentis, ita ut cum illum portæ cælestes capere posse haud viderentur, attolli, elevari, distendi jussæ. Vide ne tuus quoque solitarius sit in cælum ingressus, sed potius exemplo Christi tui Ducis, amplo animarum à te conversarum comitatu stipatus.

Expende secundo Christum hic vocari Regem gloriæ, ideoque adverte, quo illa opprobria, contemptus, ignominiæ, infamiæ Christi evaserint: nempe hæc omnia illi cessisse in gloriam, ut post ista Rex gloriæ salutaretur. Vide quis terrenarum postpositionum & humiliationum exitus? Quod autem hic iterum iterumque repetatur: *Quis est iste Rex gloriæ* quasi à cælestibus incolis Christus ascendens non fuerit agnitus, cùm tamen agnosci debuerit, alias eandem crysim cælum quàm mundus retulisset: *Mundus* (inquit Evang:) *eum non cognovit, & sui eum non receperunt.* Hoc plane inprimis, non tam interrogationis aut ignorantiæ, sed potius admirationis fuit, qua cælestes incolæ obstupuere ad tantam gloriam, in quam illæ Christi depretiationes ac vilitates evasere: aut certè quod cælum in nobis

nobis ea non agnoſcat, ex quibus nos agnoſcit & æſtimat mundus: aut denique, quod nullus hactenus à terra ad cælum viſus eſt unquam aſcendiſſe, primus ex omnibus Chriſtus hac ſorte potitur: ideo hæc tanta novitas, quandam expectationem ac dubitationem ipſis cæleſtibus incolis potuit moviſſe ac ingeneraſſe.

Expende tertio, de Chriſto hic proclamari, quod ſit *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio:* Ubi pariter adverte quibus cælum pateat, nempe non imbellibus, non effæminatis, non deſidioſis & ignavis, ſed victoribus mundi, carnis, diaboli, adverſorum quorumvis, ac ſui ipſius glorioſis. Vide, quæ in te fortitudo in adverſis? quæ reſiſtentia tentationibus ac illecebris quibuscunque? quæ victoria ſui?

Expende quarto: de eodem Chriſto promulgari, quod non de pace, non de quiete, ſed de prælio venerit. Nempe in hoc mundo, non ea quæ ſunt pacis ac quietis, ſed imo quæ ſunt continui prælii, laboris, defatigationis, ſudoris ac ſanguinis cogitanda, in ſolaque cæleſti beatitudine, tranquillam pacem ſine omni perturbatione, ſecuramque quietem expectandam.

Expende quinto: non fruſtra repeti: *Dominus potens,* & iterum *Dominus potens in prælio!* Nempe non qualitercunque fortes ac potentes, ſed cum repetitione, reduplicativè, id eſt eximiè heroicè, nec unius prælii experimento contentos nos eſſe debere, ſi cæleſtis gloriæ compotes eſſe volumus: ut ſcilicet illud verificetur, quod Chriſtus in Evangelio: *Cælum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Expende ſexto: nec hac ipſa de Chriſto proclamatione cælum viſum fuiſſe contentum, ita ut aperire portas ſuas diſtulerit, donec additum fuiſſet, non ſolum eſſe *Dominum fortem, Dominum potentem in prælio.* Sed etiam *Dominum virtutum* adeſſe. Ubi adverte non dotes eximias, non talenta, non alia, ſed ſolam hic allegari virtutem: nec Chriſtum unius hic & alterius virtutis Dominum ap-

pellari, sed *virtutum*, non dubium quod omnium. Ideoq; vide, non talentis, non qualicunque virtute ad cælum opus esse: reflectendo te præterea an tu quoque adultas cælo virtutes habeas?

Expende septimo, ordinem appellationis Christi: nempe prius illum appellari *fortem in prælio*, postea *Dominum virtutum*, idque ideo, quia scilicet hic ordo est tendentiæ, tum ad perfectionem, tum ad gloriam. Prodroma videlicet debere esse prælia, id est prius edomandas passiones, debellanda vitia, acquirendum dominium omnium affectuum, cum plena victoria sui, tum demum procedendum ad conquirendas virtutes, ad quarum possessionem non aliter devenitur, quam per dicta prælia, victorias, heroicismos.

Expende octavo, non gratis poni: *Dominum virtutum*. Cur enim non potius virtutes dominas. Etsi namque non deceat regnare ac dominari in nobis peccatum: virtutes tamen quis à Dominio arceat? Nempè verè virtuosos ac perfectos non debere esse, si ut servos peccati; ita nec servos virtutis, sed imo debere esse dominos, in usu scilicet earundem virtutum, quo ad circumstantias omnes & adjuncta temporis, loci, personarum, quoad dictamen prudentiæ, & imperium rationis. Vide an hoc etiam dominio ac prudentia polleas?

Expende nono, Christum ut *Dominum virtutum*, ita *Regem gloriæ* proclamari? Nempe eo ipso ut plebeiam sanctimoniam ita & plebeiam gloriam ab eo excludi, ideo quoque à nobis etiam excludendam, contendendumque omnino, sicuti ad sanctitatem, ita & gloriam Regalem: ut non plebeji sancti, sed Reges sanctimoniæ & gloriæ simus. Vide quisnam in hoc apud te conatus? quis genius?

Proindeque ex dictis adverte: ob quam causam prædictæ portæ cælestes jubentur non solum distendi, sed etiam attolli, elevari? Nempe quod illuc non tantum numerosa pompa, sed etiam sublimis elevata sanctitas erat ingressu-

gressura, non plebeja, non humilis. Quod autem Christus in Evangelio pronuntiaverit : *Contendite per angustam portam*, illud plane non dubium est magnas esse angustias portæ cælestis : has tamen dilatari, elevari, attolli ad mensuram & proportionem sanctimoniæ ac virtutis : ita ut plebeja angusta virtus per angustam, excellentior ac sublimior, per late patentem & elevatam portam ad cælum ingrediatur. Expende ista, quâve ipse portâ ad vitam ingredi velis ? cogita.

PUNCTUM III.

Christi in Cælum ingressus.

Contemplare jam Christum patentibus portis cælum intrantem, obvios omnes Angelorum choros, obvium DEUM Patrem. Adeoque tibi imaginare, quæ tunc erat cæli totius facies, quod spectaculum, qui ex omni parte affectus, quæ salutationes, invitationes, qui plausus, quæ Humanitatis Christi glorificatio ? Ubi expende Christum ascendentem fuisse typum nostræ DEO dante ascensionis. Illum scilicet tanquam Regem & Ducem prævenisse, ut nos sequamur, premamusque ejus vestigia.

Hic proinde breviter percurre, quibus viis Christus ad eam sublimitatem pervenerit, ut tu quoque iisdem passibus progrediaris, eidemque viæ insistas : & cùm nondum corpore cælum inhabitare liceat, mente, cogitatione, desiderio, animo illud inhabita, ita ut (docente S. Gregorio homilia 20. in Evang:) *terrena fugias, nihilque jam te delectet in infimis, qui Patrem habes in cælis.*

Colloquium & affectus ad Christum ascendentem in cælum, petendo ab eodem, ut te suæ efficaciâ gratiæ à terrenis avulsum, secum trahat ad Cælestia, juxta id, quod promisit in Evangelio : *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Adde orationem Ecclesiæ in festo Ascensionis : *Concede quæsumus Omnipotens DEUS, ut qui unigenitum*

suam Redemptorem nostrum ad Cælum ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus.

MEDITATIO LXXXVI.

De exaltata Christi humilitate, juxta mensuram & proportionem humiliationum ac depressionum ejusdem Christi.

FUndam: Visio S. Joannis Apoc: 5. *Et vidi, inquit, & ecce in medio throni, & 4. animalium, & in medio Seniorum Agnum stantem. Et venit & accepit de dextera sedentis librum. Et vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & seniorum dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Prælud: 1. ordinarium.

Prælud: 2 Pete gratiam expendendi exaltationem humilitatis Christi, atque te eo ipso ad quascunque humiliationes ac depretiationes animandi.

PUNCTUM I.

Prima pars exaltationis Christi.

COnsidera in hac visione expressam esse exaltationem humilitatis Christi, & quidem juxta mensuram & proportionem humiliationum & depressionum ejus: ita ut quantum Christus in hac vita per passionem & mortem humiliatus ac depressus fuit, ita in cælo post suam ascensionem exaltatus & glorificatus extiterit.

Atque inprimis contemplare illum, juxta visionem S. Joannis: *in medio throni & 4. animalium, & in medio Seniorum, & venisse & accepisse de dextera sedentis librum.*

Ubi expende, quanta hic Christi humilitatis exaltatio, & o-

& omnium depressionum recompensatio? Nempe pro vili Bethleemitico stabulo, pro domuncula Nazarethana, pro voluntario per triennium prædicationis exilio, ita ut nullam certam domum, stabilemque habitationem, in qua caput reclinaret habuerit, Dominium cæli & terræ: pro præsepi, pro cruce, Thronus æterni Patris, pro bove & asino inter quos natus, pro latronibus inter quos crucifixus, quatuor animalium hoc est Cherubinorum, Seniorum hoc est Regum cælestium assistentia. Pro eo, quod hominibus Patri & Matri subditus esset, imo quod se in passione potestati & judicio tot iniquorum judicum Caiphæ, Pilato, ac ipsorum etiam potestati satellitum lictorum &c. totque impiis accusationibus, criminationibus subdiderit: Potestas & judicium totius mundi libro de manu sedentis accepto denotatum.

Disce hinc à vilissimis quibusque officiis, experimentis paupertatis in victu, amictu, habitatione, non abhorrere: disce vilium pauperum conversationem, & ad te recursum propter DEUM non refugere. Disce cuicunque subdi: Disce cruces patienter ferre: & similis te recompensatio manebit.

PUNCTUM II.

COnsidera ulteriorem Christi humilitatis exaltationem. *Secunda pars exaltationis.* Imaginareque te cum D. Joanne audire vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum dicentium voce magna: *Dignus est Agnus &c.*

Ubi pariter expende, quantum hîc abundè illæ Christi humiliationes ac depressiones recompensatæ: Illæ sugillationes, detractiones, contumeliæ, blasphæmiæ, mille probra, à linguis malevolis tolerata, illæ præsertim clamorosæ voces: *Crucifige, reus est mortis*, &c. Hæc inquam omnia compensata, tot Angelorum & Archangelorum, totiusque Cæli appretiatione, æstimatione, laudibus, glorificationibus,

bus, plausibus, fama, idque non temporali aliqua non evanida, sed perenni; ita ut nihil jacturæ, imo plurimum lucri Christus ex illis omnibus depressionibus retulerit.

Disce hinc non turbari sinistris de te tuisque talentis, hominum judiciis, opinionibus, oblocutionibus, linguis: illud in tuis hac in parte apprehensionibus solatii capiens; abundè tibi omnia post hanc vitam resarcienda, nec te fugaci transitoria, sed perenni fama, æstimatione in facie cæli fruiturum.

PUNCTUM III.

Tertia pars exaltationis.

IMaginare te cum Joanne audire Incolas illos cælestes vocalissimè occinentes: *Dignus est Agnus accipere virtutem, divinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem.*

Ubi expende: Quàm Christo humiliato ac depresso in omnibus abundantissima facta restitutio in cunctis iisdem. Et sic in particulari: proscripta erat inprimis à Christo, ablata & deturpata per tot imposturas, calumnias, insimulationes, criminationes impactas, virtus & sanctimonia, dum appellaretur seductor, potator, malefactor: *Si*, inquiunt, *non malefactor esset, utique eum non tradidissemus tibi.* Proscripta Divinitas per tot incredulitates, blasphæmias, quas in eum jaciebant, non tantum denegando ei Divinitatem, sed etiam hoc ipsum allegando pro scelere, *quod se DEI Filium nominaret.* Proscripta sapientia, per tot irrisiones, ludibria, stultitiæ extremæ imputationes præsertim apud Herodem. Proscripta fortitudo, per passionem, cruciatus, tormenta quasi infirmo ac debili nec potenti resistere irrogata, nec tantum proscripta, sed morte etiam ipsa consepulta: proscriptus & ademptus honor & gloria, per tot postpositiones, contemptus, infamias, ac mortem ipsam crucis infamissam. Proscripta & surrepta benedictio per tot maledictiones, imprecationes in Christum jactas.

ctas. Proscripta denique omnia; ita ut nec species hominis relicta esset.

Ecce igitur horum omnium sigillatim facta restitutio, & recompensatio liberalissima. Facta restitutio virtutis, dum dicitur: *Dignus est accipere virtutem.* Facta restitutio Divinitatis per recognitionem ejusdem. Restitutio *sapientiæ, honoris, gloriæ, fortitudinis, benedictionis*, per tam vocales horum omnium proclamationes. Facta denique restitutio quarumvis in vita, passione, morte, jacturarum.

Disce hinc omnes jacturas, præsertim famæ ac bonæ opinionis de tua virtute, talentis æquanimiter ferre, non ignorans secuturam post hæc horum omnium refertissimam restitutionem. Ita ut quantum hic humiliatus, depressus, infamatus, depretiatus fueris, ad eam tibi mensuram & proportionem exaltatio & glorificatio speranda, cum refusione temporalium damnorum.

Adverte vero, quod hic inter præcipua imo pro præcipuo de Christo allegatur illud: *Quod dignus est*; acsi minus sit quævis accipere & habere honorem scilicet gloriam &c. minusque potiri etiam maximis: nisi quis his talibus dignus esse judicetur. Proindeque sufficiat in omnibus, & post omnes depretiationes, dignum inveniri æstimatione, famâ, gloriâ. Hinc disce non turbari, si quid tibi tuisque talentis debitum, fuerit denegatum, modo revera omni pretio tui & acceptatione dignus sis, talisque saltem apud DEUM inveniaris: itaque tibi existima satisfactum.

Colloquium & affectus ad Christum humiliatum & exaltatum desiderando ob amorem ac assimilationem ipsius, ut hic in terra humiliari te ac deprimi, etiam in omnibus & ab omnibus faciat, exaltatione & glorificatione tui post hanc vitam reservata ad cælum pro æternitate.

MEDITATIO LXXXVI.

De pugnis, victoriis, ac triumphis hominis Religiosi.

FUndam: Visio Jacobi Patriarchæ Gen: 32. *Ubi apparuit ei vir: qui luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum fæmoris, & statim emarcuit; Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit (scilicet Jacob) non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo: quod nomen est tibi? Respondit: Jacob. At ille nequaquam inquit Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra DEUM fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis. Vocavitque Jacob nomen loci illius: Phanuel, dicens: Vidi DEUM facie ad faciem, & salva facta est anima mea.*

Præud: 1. consvetum.

Præud: 2. Imaginare te in medio hostium telorumque omnis generis, qui te ex omni parte impetunt, simulque imaginare tibi, animantes te ad certamen Angelos, cum impendentibus desuper coronis, ac præmiis juxta illud S. Bernardi: *Expectant Angeli certaminis tui exitum, coronas tenentes in manibus, quas perseveranti largiantur.*

Præud: 3. Pete gratiam ut discernendi hostes tuos quoscunque, ita iisdem heroicè resistendi.

PUNCTUM I.

Lucta & pugnæ hominis Religiosi.

COnsidera ex una parte luctam & conflictum Jacobi Patriarchæ, cum viro quiscunque ille fuerit.

Ex altera parte luctam hominis Religiosi: ô quot luctæ, & cum quot Athletis Religioso homini! Non memoro luctas cum visibilibus adversariis, inimicis manifestis, falsis fratribus. Item cum hostibus invisibilibus dæmonibus,

bus, ac toto inferno, qui homines seculares ne duello quidem aggreditur. Jam religiosos toto nisu, totis legionibus, omnibus viribus & artibus. Nec ad tempus tantum sed tota vita, ad ultimum usque agonem : absque ullo interstitio, quiete, induciis.

Præcipua vero lucta cum se ipso, cum suis passionibus, pravis habitibus, appetitibus, inclinationibus, cum ipsamet sua tota quanta est natura. Eaque lucta pariter continua. Nunquam enim hæc edomantur, ut non iterum revivifcant ac rebellizent. Hinc illud de Religioso : quod sit perpetua naturæ violentia.

Quid dico luctam esse Religioso cum natura ? Imo quodammodo cum DEO ipso immittente, sive extrinsecas adversitates, sive intrinsecas, molestias, ariditates spirituales, scrupulos, angores, denegante spiritualia solatia, auxilia, gratias, & quodammodo se homini eripiente, elongante se ab homine.

Quibus expensis, vide quodnam in te ipso simile sit experimentum ?

PUNCTUM II.

Considera ex una parte adjuncta pugnæ & victoriæ Jacobeæ. *Adjuncta pugnæ Jacobeæ & Religiosæ.*

Primo, illam luctam fuisse de nocte. 2dò, finitam ad exortum auroræ. 3tio. Perfectam magna virtute & constantiâ.

Atque ita per noctem intellige, mentis tenebras, defectum illuminantis gratiæ : aut viam purgativam. Per auroram : gratiam illuminantem, adjuvantem, aut viam illuminativam.

Ubi adverte, quanta lucta homini Religioso in via purgativa in expurgandis vitiis, pravis habitibus &c. Nec aliter quenquam posse evadere ad viam illuminativam, nisi præviâ hâc luctâ.

Item per noctem intellige vitam præsentem, per au-

 roram

rorum exortum vitæ sequentis : Unde adverte quamdiu vivis non posse te ab hac eadem luctâ immunem esse

Jam eandem ipsam non aliter posse confici, quàm virtute & constantia : ita ut etiamsi videretur hostis illam deprecari, manumissionem petere, inducias exorare : *Dimitte me*, inquit : nequaquam esse quiescendum.

Vide quænam in te talis militiæ praxis?

PUNCTUM III.

Præmia & fructus ejusdem pugnæ.

CONsidera fructus & præmia pugnæ Jacobeæ ac simul victoriæ.

Nempe primo in hoc : *Si contra DEUM fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis.* Namque tali homini, qui vel cum uno hoste heroice depugnavit, nihil amplius grave, nihil invincibile esse, omnia ad pervincendum facilia & expedita.

Jam quantum benedictionis in hac & altera vita : *Non dimittam te*, inquit, *donec benedixeris mihi.*

Tum acquisitio insignis nominis ac celeberrimi : *Nequaquam vocabitur nomen tuum Jacob, sed Israel.*

Præterea exortus auroræ idest gratiæ specialis : Perpetuæque diei pulsis tenebris, & serenitatis illimis in anima & conscientia.

Insuper arefactio nervi in pede : nempe juxta Hugonem : *Ut vix uno pede terram contingeret.* Id est elevatio hominis super omnia terrena.

Tandem possessio & manutentio DEI specialis : *Non dimittam te*, inquit. Nec non visio ejusdem DEI, ac salus animæ : *Vidi*, inquit, *DEUM facie ad faciem , & salva facta est anima mea.*

Quibus expensis, fac, ut similes fructus & præmia ex tuis pugnis quotidianis percipias.

Colloquium. Confitere tuam infirmitatem. Implora auxiliatricem DEI dexteram. Conclude oratione de

160

S. Patre: DEUS, *qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam &c.*

MEDITATIO LXXXVIII.

De missione & adventu Spiritus Sancti.

FUndam: Visio Ezech: cap: 37. *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in Spiritu Domini, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus mortuorum. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida audite Verbum Domini: Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserant ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nervi & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper: Et dixit ad me: Vaticinare ad Spiritum: Hæc dicit Dominus DEUS à quatuor ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. Et prophetavi, & ingressus est in ea Spiritus & vixerunt: Steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè. Et dixit ad me: Fili hominis: ossa hæc universa Domus Israel est &c. Et scietis, quia ego Dominus cum eduxero vos de tumulis vestris, & dedero Spiritum meum in vobis & vixeritis.*

Præluḋ: 1. Eadem visio.

Præluḋ: 2. Statue tibi ante oculos mentis S. Spiritum in discipulos, in linguis igneis descendentem

Præluḋ: 3 Pete à S. Spiritu, ut te repleat donis suis, præsertim vero maximè tibi necessariis.

PUNCTUM I.

Necessitas adventûs & gratiæ Sancti Spiritus.

COnsidera in hac visione Prophetica adumbrari missionem S. Spiritus in hunc mundum.

Atque inprimis expende ante adventum ejusdem Spiritus Sancti, discipulos Christi, atque omnes pro tunc fi-

 deles

deles fuisse ad instar aridorum ossium : post Christi ascensionem timore ac trepidatione exanimatos, excordes, imbelles, ac velut emortuos sine nervis, carne, cute, hoc est fortitudine animi, consilio, amore DEI & proximi, ardenti zelo animarum, & tot aliis virtutibus, donisque & habitibus supernaturalibus vacuos : ac prorsus sine ulla compage, sine ullo vigore ac simmetria spirituali existentes, velut ossa à suo capite divulsos ac dispersos.

Quibus expensis teipsum introspice : Similesque in te defectus, ac indigentias agnosce : illas scilicet ariditates animi, pusillanimitates Spiritus, defectum fervoris, fortitudinis, in tentationibus, adversis &c.

PUNCTUM II.

Dispositio ad adventum & gratiam Spiritûs S.

CConsidera circumstantias & dispositiones in illis ossibus, ante ingressum in ea Spiritûs

Nempe illa cæpisse se è loco, è terra movere, elevare sursum, sonitum edere, ad invicem jungi, nervis constringi, carne & cute vestiri.

Ubi expende similes fuisse in Apostolis, ac in nobis debere esse dispositiones ad adventum S. Spiritûs. Nempe sonitum pœnitentiæ, orationis, precum &c. sejunctionem & elevationem nostri à terra, terrenisque cupiditatibus, concordiam & unionem mentium; nervosum ac firmum desiderium, nec non propositum, spem, fidem, tractabilitatem carneam, seclusâ omni duritiâ cordis. Idque plane in Apostolis videre fuit in unum congregatis, & conjunctis ad invicem, tum sejunctis à terrenis curis & sollicitudinibus, à conversatione mundana avulsis, precibus & orationi continuò vacantibus. Constanti ac firmo proposito, ardenti desiderio, fide, spe, Spiritum Sanctum præstolantibus.

Quibus expensis : vide an similiter sis ad dona Sancti Spiritus capessenda dispositus ? Quodsi quidpiam dispo-

ſpoſitionis in te deſideratur, amplius te ampliusque diſpone.

PUNCTUM III.

Conſidera primo ingreſſum Spiritus, tam in illa oſſa, quam in Apoſtolos. Eumque in Apoſtolos deſcendiſſe in linguis igneis: nempe ut lucerent & arderent ſimul velut ignis, imo ut accenderent etiam alios quoscunque ad amorem DEI & proximi. Tum quod maximè lingua ſit indicium inhabitantis Spiritus Sancti. Vide an hoc indicium tua lingua præferat? *Adventus & ingreſſus Spiritus S. in nos effectusq; ac ſigna illius.*

Atque conſidera, ſecundo effectus ac ſigna ingreſſus Spiritûs, tam in illa oſſa Prophetica, quam in Apoſtolos. Nempe ad ingreſſum illius aſſurexiſſe, ſtetiſſeque ſupra pedes ſuos exercitum grandem, fortem, imperterritum, victorias ac triumphos ſpirantem, in gradu hoc eſt conſtantia obfirmatum ac ſtabilitum, nec amplius facile caſurum: *ſteteruntq; ſuper pedes ſuos* &c. Et idem plane in Apoſtolis viſum fuiſſe: dum repleti Spiritu Sancto illico revixerunt, aſſumpſerunt animos; ex illo quo tenebantur ergaſtulo in fora, in plateas ſeſe extulerunt, Chriſtum audenter prædicaverunt, nec erubuere Evangelium ejus, ac paupertatem, nullis minis, nullis tormentis perterriti, nullis laboribus, incommodis, ærumnis fracti, nullis mundi, carnis illecebris, ac reſpectibus expugnati, in omnibus non ſe, nec ſua quærentes, ſed Chriſtum & hunc crucifixum.

Vide quænam tui ad hos ipſos ſimilitudo? forte verò ne umbra quidem.

Colloquium & affectus ad S. Spiritum: *Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium &c.*

MEDITATIO LXXXVIII.

De Genuino Religioso Spiritu.

FUndam: Visio S. Joannis Baptistæ: *Vidi* (inquit ille Joann: 1.) *Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, & mansit super eum.* (*id est super Christum*)

Prælud: 1. Statue tibi Christum baptisantem se baptismo Joannis, & Spiritum Sanctum descendentem super illum in specie columbæ.

Prælud: 2. Pete gratiam cognoscendi genuinum Christi, & consequenter Religiosum Spiritum, eoque Spiritu vivendi.

PUNCTUM I.

Genuinus spiritus Christi & Religiosus.

COnsidera in hac visione adumbrari genuinum Religiosum Spiritum, quia Spiritum Christi: Spiritum enim Religiosum non debere esse diversum à Christi Spiritu, sed planè eundem, ut nobis tot regulis summarii intimatur.

Atque hic inprimis expende S. Spiritum in Christum descendisse in specie columbæ, quæ est symbolum simplicitatis: nempe Spiritum Christi, & pariter Religiosum debere esse ab omni politicismo, hypocrysi, simulatione, ab omni fraude & fuco alienum: debere esse Spiritum simplicitatis religiosæ, sinceritatis, candoris, idque quoad superiores, æquales, inferiores, domesticos & externos: juxta Christi effatum: *Estote simplices sicut columbæ.* Vide, quo hac in parte Spiritu vivas?

Expende secundo, columbam esse symbolum puritatis: hinc illam columbam Noé, *cùm non haberet ubi requiesceret pes ejus*, ob totum mundum cadaveribus & cæno infectum rediisse ad arcam, utpote munditiei amantem.

Esse

Esse præterea symbolum pacis, hinc eandem Nòé columbam & non aliam volucrem cum pacis nuntio portasse, *in ore suo ramum Olivæ virentibus foliis.* Esse symbolum mansuetudinis: Symbolum taciturnitatis: hinc illi potius gemere, quàm garrirè convenit. Et hic plane Spiritus Christi: Spiritus scilicet puritatis, pacis, mansuetudinis, silentii. Vide an in te quoque similis Spiritus, Spiritus inquam columbinus?

Expende tertio, columbam esse (ut dicitur) sine felle: atque planè eundem esse Spiritum Christi, eundem debere esse Spiritum quoque hominum Religiosorum: ut sit quisque velut sine felle, sine cholera, sine impetu, sine amarulentia in omni actione, colloquio, adversitate, experimentis paupertatis, obedientiæ: ut prorsus non habeat amaritudinem vita & conversatio nostra, idque quoad domesticos & externos.

PUNCTUM II.

Diversus Spiritus à Spiritu Christi & Religioso.

Considera, cur non in alia specie Spiritus Sanctus in Christum descenderit?

Idque v. g. non illum descendisse in specie Aquilæ: Aquila enim est symbolum elationis, symbolum singularitatis: solitariè enim non gregatim volant & nidificant Aquilæ. Hic autem talis non est Spiritus Christi, neque Religiosus, qui ut omni elationi ita singularitati inimicus: Communitatis amator & promotor præcipuus. Prærerea non descendisse in specie pavonis, quia hæc volucris symbolum vanitatis à Spiritu Christi & Religioso proscriptæ: non in specie cygni, utpote symbolo hypocrysis, ex quo cùm pelle candida niteat, intus carne nigrescit, juxta Pòëtam: *Introrsum turpis speciosa pelle decora.* Multo magis non in specie Psittaci, utpote symbolo garrulitatis, obtrectationis, quia talis Spiritus à Spiritu Religioso longe degener. Non etiam in specie fulguris: quia fulgur est symbolum

inpri-

inprimis mali Spiritûs: *Vidi*, inquit Christus, *Satanam tanquam fulgur cadentem*: præterea symbolum tempestatis, aëreæ inquietudinis.

Vide an his deviis Spiritibus à Spiritu Religioso non sis obnoxius?

PUNCTUM III.

Adjuncta Spiritus Christi, & Religiosi.

COnsidera adhuc quisnam sit genuinus Spiritus Religiosus, & quæ ejus adjuncta?

Quod facile colliges, si expenderis qualis fuerit Spiritus Christi, hic in mundo inter homines conversantis.

Nempe Spiritus amoris ardentis, salutis animarum ac propagandæ gloriæ Patris æterni, Spiritus laborum, ærumnarum, incommodorum, passionum avidissimus & tolerantissimus, omnis otii expers & inimicus, spiritus mundo, carni, diabolo oppositus. Hinc de illo: *Contrarius est operibus nostris*: Spiritus nullis respectibus, obnoxius: hinc de illo: *non respicit personam.* Spiritus veritatis, humilitatis, mansuetudinis. Spiritus nullius mercedis, præmiique temporalis indigus.

Quod autem Spiritus Sanctus in specie columbæ super caput Christi apparuerit? & hoc ipsum tum ejusdem Christi, tum ipsius Religiosi proprii Spiritus adjunctum est, cum capite, id est cum sede rationis, intellectûs ac prudentiæ, correspondentiam habere, non cum lingua, non cum palato, non cum ventre. Legibus religiosæ prudentiæ ac rectæ rationis regi, juxta easdem in omnibus procedere, omnia accommodare, moderari; juxta illud Christi: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*

Tandem considera Spiritum Religiosum esse, Spiritum Apostolorum, Spiritum Fundatorum, S. Benedicti, S. Dominici, S. Patris Ignatii, &c. Spiritum antiquorum Patrum nostrorum, præsertim primorum, Spiritum Regulis, instituto secundum omnia conformem.

Vide an idem omnino tuus Spiritus?

Colloquium & affectus ad Christum petendo ab eodem, ut sicut Sanctis Fundatoribus, ac etiam S. Patri Ignatio, aliisque è Religione tua SS. Patribus suum Spiritum infundere dignatus est, ita etiam tibi quoque licet undequaque indignissimo, eundem largiri non dedignetur: cum aspiratione: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur &c. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.*

MEDITATIO LXXXIX.

De Amore DEI.

FUndam: Visio Isaiæ Prophetæ cap: 6. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: Seraphin stabant super illud: Sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.*

Præludᵗ 1. ordinarium.

Prælud. 2. Pete gratiam percipiendi, quomodo sit à te amandus Dominus DEUS, & eum defacto amandi.

PUNCTUM I.

COnsidera in his Seraphin: adumbrari excellentem amorem DEI, quem illi ex parte nostra tenemur impendere.

Amor DEI Seraphicus & ignitus.

Sicut enim Cherubin à scientia, ita Seraphin ab amore ignito denominati: Scilicet idem, quod ignei, ardentes, accendentes. Utpote toti amore DEI ignei: imo ipsemet ignis, juxta illud: *Qui facis Angelos tuos Spiritus & ministros tuos ignem urentem.*

Ubi inprimis expende: quales & nos in amore ejusdem DEI esse debere? Nempe adinstar Seraphin totos igneos, totos hoc igne beato ardentes, totos in hunc ignem versos, id est totis nobis DEUM amantes, toto corde, toto corpore, omnibus viribus, omnibus sensibus, tota anima, omnibus potentiis, ita ut nihil in nobis sit, quo DEUM non amemus. Ita plane, sicut DEUS amat nos toto se, ac toto universo. Amat suâ omnipotentiâ creando te & conservando, amat essentiâ ac immensitate sua semper tibi præsens & ubique assistendo, amat sapientiâ & providentiâ gubernando te, amat bonitate, benefaciendo, misericordiâ miserendo, justitiâ castigando temporaliter &c. Amat Æternus Pater dando tibi & pro te Filium, amat Filius Incarnatione, Redemptione, Passione & Morte, amat Spiritus tot auxiliis, donis, gratiis &c. Amat te DEUS toto universo, omnes creaturas, etiam Angelos deputando in ministerium tuum. Vide, an sic te toto, tuis omnibus ames DEUM?

Expende secundo, debere nos in amore DEI imitari naturam & proprietates ignis. Scilicet:

Primo, sicut ignis nunquam dicit sufficit, ita & amorē DEI debere esse insatiabilem, nisi solo DEO, & quidē etiam DEO, non quomodocunque, sed continuè & perfectè: quod quia in hac vita haberi non potest, ideo planè hic non satiatur.

Secundo. Quia sicut ignis omnia sibi opposita superat, absumit: Ita Amor DEI, omnia peccata, omnia adversa, omnes difficultates facile vincit ac triumphat.

Tertio. Sicut ignis quocunque loco positus circa quamcunque materiam sibi objectam occupatus, sive circa aurum, sive paleam, sive lignum, semper ad cælum fertur. Ita amans in omnibus rebus ad DEUM tendere, DEUM amare debet.

Quarto. Sicut ignis, si potens est, vento non tantum non extinguitur, nec sedatur, sed imo propagatus magis:

Ita

Ita amor DEI non supprimitur, sed crescit adversitatibus.

Quinto. Sicut ignis non tantum ipse ardet & micat, sed etiam alios accendit & illuminat, ita planè hoc ipsum verè amantibus DEUM incumbit. Hinc Seraphim (ut diximus) interpretatur *ardens accendens.*

Vide, quomodo apud te in amore DEI naturam ignis præfatasque & alias illius proprietates, quoad te, & quoad alios expresseris exprimasque.

PUNCTUM II.

Quidnam per alas Seraphinorum significetur considera. Nempe celeritatem, promptitudinem ad omnem DEI nutum: quod ipsum est vere amantis: Unde illud: *Ite Angeli veloces &c.* Vide, quæ tua ad DEI nutus promptitudo? *Alia adjuncta amoris DEI.*

Secundo, intelligi sublimes intentiones & affectus. Vide quænam apud te horum sublimitas?

Tertio, per primas duas alas, intelligi puritatem tam intentionis, quam conscientiæ, & patientiam: Per secundas duas alas contemplationem & actionem, seu vitam activam & passivam: per reliquas duas, discretionem seu prudentiam & constantiam: hasque alas admovere nos ipsi throno DEI, sicut admoverunt Seraphinos: *Vidi,* inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: Seraphin stabant super illud.*

Expende istas easdem alas singulas, & quis illarum apud te usus & copia agnosce.

PUNCTUM III.

Considera in eadem visione adumbrari: qualemnam debere esse nostrum erga DEUM amorem, scilicet minime otiosum. *Amor DEI non sit otiosus.*

Et hoc plane est, hos Seraphin throno DEI assistere, & simul volare: tum velare faciem, velare pedes. Per faciem gloriam DEI, per pedes humanum genus, animas hominum intelligi. Adeoque hæc velare: est sese gloriæ DEI, nec non obsequio salutique animarum devovere ac impendere. Et sane sicut amor DEI erga nos non est ullo momento otiosus, continuis nos afficiendo, seque in nos effundendo beneficiis, præter hoc, quod illius gratiâ vivimus, movemur & sumus. Ita pariter nostrum quoque erga DEUM amorem dedecere esse otiosum, imo maximorum quorumvis decet esse operativum, & quidem in promovenda ejus gloria & animarum salute, imo etiam tolerativum gravissimorum quorumvis. Vide an in hac parte otium apud te locum non habeat?

Reflecte te an aliquid saltem hactenus, utcunque non modicum propter amorem DEI, ejusque gloriam operatus es: tanto magis aliquid DEO dignum? aut etiam passus?

Colloquium & affectus S. Francisci Xaverii: *O DEUS ego amo te, nec amo te ut salves me, aut quia non amantes te, æterno punis igne. Tu tu mi JESU totum me amplexus in cruce, tulisti clavos lanceam, multamque ignominiam, innumeros dolores, sudores & angores, ac mortem, & hæc propter me, ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, ô JESU amantissime, non ut in cælo salves me, aut ne in æternum damnes me: nec præmii ullius spe, sed sicut tu amasti me, sic amo & amabo te solum, quia Rex meus es; & solum quia DEUS es.*

MEDITATIO XCI.

De amore & servitio DEI, sine intuitu ullius mercedis & præmii.

FUndam: Visio S. Joannis Apoc: 20. *Vidi*, inquit, *thronum magnum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit cælum & terra, & locus non est inventus eis.*

Prælud

Prælud: 1. ordinarium.

Prælud: 2. Pete gratiam amandi DEUM, eique serviendi purè propter illum solum, sine ullo ad præmium terrenum & cæleste respectu.

PUNCTUM I.

COnsidera in hac visione adumbrari amorem & servitium DEI sine intuitu ullius mercedis & præmii.

Quid est amor DEI sine intuitu ullius mercedis?

Quid enim aliud est fugisse cælum & terram à conspectu sedentis in throno, ita ut locus non esset eis? quàm per hoc ipsum exprimi, quomodo in amando DEO debeant cedere cælum & terra, ita ut nullus sit ad illa, hoc est, tam ad cælestem, quam ad terrenam ac temporalem retributionem, mercedem, præmium, respectus: adeoque nullum hæc locum in defecatissimo DEI amore & corde amantis habeant.

Atque hic expende primo: quid sit amare DEUM sine intuitu mercedis & præmii cælestis? nempe non id esse ut sine spe illius DEUM ames, eique servias. Id enim nolle DEUM, ut illi sine cælesti mercede serviatur, siquidem ille ipsemet monet: *Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælo.* Utique enim & hic ipse in throno sedens, etsi à conspectu ejus cælum & terra, id est intuitus cælestium ac terrenorum præmiorum quasi aufugiat: non tamen suum illum thronum utique sibi pro præmio collatum derelinquat, sed imo constanter insideat. Sed hoc esse gratis DEO servire, idque DEO summè placere, quod illi quamvis non sine spe, non tamen propter spem, & ex spe mercedis etiam æternæ serviatur.

Expende secundo: Quid sit amare DEUM, & illi servire sine intuitu mercedis & præmii terreni? Nempe in suis actionibus, functionibus, laboribus, crucibus, ærumnis, depressionibus, nullam laudem, nullum plausum, nullum commodum, nullum terrenum emolumentum, nullam gra-

tiam, nullam gratitudinem velle. Non tantum apud alios, sed etiam apud semetipsum nullam in suis actionibus complacentiam, gustum, satisfactionem, nullum inde solatium, gaudium, ac oblectationem habere: sed imo his omnia opposita desiderare: Scilicet displicentias, censuras, improbationes linguas, obtrectationes, ingratitudines, persecutiones, afflictiones, calumnias, infamias &c.

Vide quomodo ad talem Amorem DEI & servitium sis animatus?

PUNCTUM II.

Motiva sic amandi DEUM.

CONsidera motiva hujus gratuiti amoris & servitii.

Ac inprimis intuere eum ipsum sedentem in throno, sive hic sit DEUS summus Creator & conservator noster, qui nos verè gratis amat, gratis benefacit nobis, ut nos creavit, ita & conservat gratis, cum tot beneficiorum & gratiarum affluentia, ultra illud: *Quod sic dilexerit mundum, ut ei unigenitum Filium suum daret*: Sive sit ille Christus Redemptor ac Salvator noster, qui quantum nos amaverit, manifestavit Incarnatione, vita, passione, morte: cujus vero ex parte nostra respectu præmii, mercedis, compensationis, gratitudinis, sive in cælo, sive in terra? Vidit hoc eadem terra, vidit cælum in Apocalipsi, vidit inquam se tantopere à DEO & Christo diligi: atque sic velut erubescens suâ tenuitatem, imo nullitatem gratitudinis, sine ullo prævio, vel consequente merito, præ rubore eodem fugit: aut certe in comparatione tanti Divini erga se amoris ac beneficii ita decrevit, ac si in rerum natura non esset. Et revera DEUS sic nos amans, tantum à cælo, tantum à terra, tantum à nobismetipsis emolumenti percipit, ac si defacto in rerum natura non essemus.

An non igitur idem DEUS simili à nobis ratione amandus?

Præsertim, quia primo id vult ac desiderat à nobis dicens: *Ego ero merces tua.*

Se-

Secundo. Quia tali amore ob infinitos titulos dignus est, ut illi scilicet gratis serviatur.

Tertio. Quia hic modus amandi DEUM est excellentissimus, summèque DEO placens.

Quarto. Quia ad talem DEI amorem, ex vi instituti tui obligaris, præsertim Regula summarii 17. quam accuratius expendere velis.

Quinto. Quia ex vi ejusdem instituti, non alius finis vocationis ac Religionis tuæ, quam major DEI gloria & salus animarum, quàm sine ulla mercede & præmio promovere teneris: hinc rigor ille quo prohibetur, ne quidquam pro obsequio quocunque animabus præstito pro sacris, confessionibus, concionibus à nostris accipiatur.

Sexto. Percurre exempla tot Sanctorum, tali amore ac servitio DEI memorabilium: atque te expolia omni intuitu non tantum terrenæ consolationis ac mercedis, sed etiam cælestis ac æternæ, ita ut sola tibi merces sit servire DEO, & amare eundem: & hoc ipsum non quia tibi bonum, sed quia DEO bonum est, quia DEO placet, quia tali amore ac servitio dignus est.

PUNCTUM III.

Nullum damnum ex tali amore.

COnsidera primo: Quomodo nihil damni tales amatores ac servi DEI, ex tam gratuito servitio, & amore referant, sed imo magnum lucrum. Planè sicuti vir hic Apocalypticus, qui à se exclusit omnem intuitum cæli & terræ, *à cujus conspectu* (inquit S. Joannes) *fugit cælum & terra*. Dum enim se ab eodem intuitu longius removet, non vulgari throno, sed magno & eximio, qui cælo ipsi ac terræ præstabat honoratur: *Vidi*, inquit, *thronum magnum, & sedentem super eum*: quod non auditum de illo, qui apud Psalmistam cælo appropinquans seque inferens acclamari jussit: *Attollite portas, & introibit Rex gloriæ* Nec tamen ad primam vocem admissus, ut iterum id ipsum excla-

clamandum esset. Jam quidnam DEUS ipse talibus sui amatoribus ac servis appromittat? audiamus: *Ego*, inquit, *ero merces tua magna nimis.* En non quæcunque merces, sed nimis magna: & quidem non Cælum, non terra, sed ipse Cæli ac terræ Creator. Quantum igitur lucrum pro mercede creata finitaque, increatam infinitamque recipere.

Insaniaque eorum, qui sic DEUM non amant.

Considera secundo insaniam eorum, qui intuitu terreni, ac temporalis cujuscunque emolumenti ac præmii DEO serviunt. Hi enim in hac vita recipiunt mercedem suam, & hanc quidem quàm vilem, quam miseram, quam evanidam: scilicet plerumque solos illos vanitatis fumos. Jam vero quantam incurrant jacturam? nempe tot meritorum, tot gratiarum tantæ gloriæ æternæ, propter quam etsi DEUM non amemus: DEUS tamen illam se amantibus non tantum, non subtrahit, sed imo cum fænore retribuit. Expende vero hic, quinam illi sint, qui DEO gratis servire detrectant? Nempe ii, qui in suis actionibus, laboribus &c. terrenos successus, plausus, complacentias alienas & suas, gratitudines, gratias, favores, commoda, præmia, æstimationes, appretiationes, auctoritates, reverentias sui, solatiola intendunt & aucupantur. Etsi his fraudentur anguntur, dejiciuntur animo, murmurant, languescunt in studio virtutis, ab egregiis suis actibus desistunt. Invident, dolent, murmurant, censurant, extenuant: Si aliis non illis hi successus, & solatiola terrena contingant: ita ut extremo mærore contabescant.

Detestare talium insaniam & exclama: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram DEUS cordis mei, & pars mea; DEUS in æternum.*

Pro colloquio utere illa Oratione S. Patris: *Suscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tua prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem quæso tui solum, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*

ME-

MEDITATIO XCI.

De Amore & Timore DEI, præcipuis vitæ Religiosæ, principiis, ac fundamentis.

FUndam. Apparitio Domini Israëlitis egressis ex Ægypto, in duplici columna Exod: 13. *Dominus*, inquit, *præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis : ut dux esset itineris utroque tempore : Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.*

Prælud: 1. Simile illi, quod supra ordinariè.

Prælud: 2. Pete gratiam, amorem DEI ardentem, & timorem ejusdem salutarem concipiendi.

PUNCTUM I.

Comparatio Amoris & Timoris DEI, cum columnis Israëliticis

COnsidera primo in hac apparitione adumbrari duo principia, ac præcipua auxilia vitæ Religiosæ : Amorem scilicet & Timorem DEI. Per columnam ignis significari DEI amorem : per columnam nubis Timorem ejusdem : ubi etiam expende proprietates nubis & ignis easque tam amori DEI, quàm timori applica.

Considera secundo per has duas columnas Israelitas ex Ægypto eductos, ac etiam toto itineris tractu easdem illis præivisse. Atque hic expende similes nobis fuisse prodromos è seculi Ægypto ad Religionem, scilicet amorem DEI & timorem : Quid enim aliud nos principaliter evocavit è seculo, quam hæc duo : Amor & Timor DEI, ut cuique reflectenti se patebit. Hinc etiam eosdem anteambulones in vita Religiosa nobis habere necesse est : à quibus enim principiis res oriuntur, ab iisdem conservantur. Et sane nihil nos in vocatione & spiritu Religioso

 effica-

efficaciùs conservare potest, quam id ipsum, unde eandem vocationem & spiritum hausimus: nempe amor & timor DEI.

Ubi considera tertio: columnam nubis fuisse Ducem Israëlitis die, jam columnam ignis de nocte. Idque ipsum de timore & amore DEI conclude. Nempe amorem DEI efficacissimum Ducem in adversis esse, ne illis scilicet frangamur. Timorem in prosperis, ne illis elevemur. Quid enim efficacius amore DEI ad omnia adversa, difficultates, ærumnas superandas? scilicet *omnia vincit amor*. Nihil amanti difficile, nihil arduum, nihil grave. Et si his ipsis adversis frangeris: defectui amoris DEI adscribe. Quid efficacius timore ad omnia prospera sine noxa conscientiæ transigenda, ad omnes tentationes, suggestiones, illecebras diaboli, mundi, carnis vincendas? Et si in his omnibus te prolabi experiris, defectui timoris DEI attribue.

PUNCTUM II.

Emolumenta Amoris & Timoris DEI ex comparatione columnarum.

COnsidera quantum boni, Israëlitæ retulerint, & quantum mali effugerint, istis duabus columnis sibi prælucentibus. Nempe nullum illis in tanto itinere tædium, nulla difficultas, nullus error, nullus æstus, nullum à sole, ab imbre, ab äëre incommodum, nullum undecunque periculum, nulla de nocte trepidatio &c. His præducibus mare cessit, Israëlitæ per ejus fundum inter medias undas feliciter transierunt, effugerunt Pharaonem, Pharao cum exercitu mersus. Applica hæc & alia hinc expensa ad vitam Religiosam, simulque effectus ac emolumenta ignis & nubis cum effectibus amoris ac timoris DEI compara, cum simili applicatione.

PUNCTUM III.

Mala ex defectu Amoris

COnsidera quantum mali incurrissent Israëlitæ, & quantum amisissent boni, si his ducibus caruissent. Atque

ſimile quid expende de illis, qui in vita Religioſa his ſimilibus prodromis carent, amore DEI ſcilicet & timore. Nempe illis omnia difficilia, omnia gravia, omnia improſpera, faciles lapſus, difficilis tentationibus, ac omnibus mundi & carnis illecebris reſiſtentia, nullus horror & fuga peccati &c. *& Timoris DEI per comparationem præfatam.*

Unde conſidera ſecundo: illas columnas ſemper quolibet tempore, tota die & nocte adfuiſſe Iſráëlitis, nulloque momento defuiſſe, ſive comederent, ſive biberent, ſive aliquid aliud facerent: ita ut in illas iidem Iſráëlitæ ſemper habuerint oculos intentiſſimos. Idemque de timore DEI & amore cogita: Nempe hos etiam præduces, ſemper nos præſto ante oculos debere habere in omni actione, in omni difficultate, in omni ſuggeſtione, in omnibus proſperis & adverſis, ſive comedendo, ſive bibendo, ſive aliquid aliud faciendo, ſemper illud nobis intimando: Propter te DEus meus, amore tui. *Nec non reliqua adjuncta tam columnarum, quàm Amoris & Timoris DEI.*

Conſidera tertio: quod DEUS duas has columnas Iſráëlitis præduces dederit, cum videretur una fuiſſe ſatis, eaque alterutra: Idque non dubita à DEO factum non ſine myſterio, nec fruſtra: Proindeque idem ipſum de vitæ Religioſæ præcurſoribus, amore inquam DEI, & Timore exiſtima: quod ſcilicet ad rectè & innoxiè percurrendum Religioſitatis iter utroque opus ſit omnino.

Conſidera quarto, quod in prædictis Iſráëlitarum columnis DEUS ipſe affuerit: *Dominus* (inquit Scriptura) *in columna nubis & in columna ignis.* Unde adverte, quod nos quoque in noſtris prodromis non aliud ſpectare debeamus: videlicet in amore DEI, non præmium ullum, non mercedem, non bonum aliquod & commodum noſtrum, in timore quoque non damnum, & pænam ſive æternam, ſive temporalem, ſed ſolum non niſi DEUM: ut hic ſcilicet amor ſit perfectus, & timor non ſervilis, ſed filialis.

Colloquium. Oratio Dominicæ ſextæ poſt Pentec: *DEUS virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris*

nostris Amorem tui Nominis (adde) timoremque pariter, & præsta in nobis Religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias.

MEDITATIO XCII.

De Resignatione sui in Voluntatem ac Providentiam DEI.

FUndam: Visio Zachar: 3. *Ecce lapis, quem vidi coram JESU: super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego celabo sculpturam ejus.*

Præluds 1. consvetum.

Prælud: 2. Pete gratiam complacendi tibi in Providentia ac Voluntate DEI, in eamque simul te plenè resignandi.

PUNCTUM I.

In quo hæc hæc R signeno consistit?

COnsidera in hoc lapide Prophetico adumbratam plenam resignationem in Providentiam ac voluntatem DEI.

Quid enim est, resignatum esse in hæc ipsa? quam esse ad instar lapidis sine oculis, sine manibus, pedibusque, sine capite, sine corde, sine ore, sine sensibus: hoc est nullos in se oculos, nullos sui suarumque commoditatum, necessitatum, utilitatum &c. respectus habere, nihil in bonum suum fabricare, ne digitum quidem in suam partem & commodum admovere, nihil de se cogitare: nec primam ut ita dicam apprehensionem formare, ad nihil affici, nihil sibi velle, appetere, desiderare, procurare, ne verbum pro se loqui: totam sui curam DEO, DEIque oculis, Providentiæ, Voluntati relinquere, totum se suaque omnia in DEI Providentiam ac Voluntatem resignare, ita ut quocunq;

cunque te eadem providentia direxerit, quocunque verterit, quo loco posuerit, quidquid tecum egerit, & agi permiserit, ad nihil commoveri, nullum sensum edere, nihil improbare, in nullo oppositum prodere judicium: sed imo approbare omnia, in omnibus sibi complacere, ad omnia, ad omnes postpositiones, abjectiones sui ad instar ejusdem lapidis insensibilem esse: quocunque te DEI providentia ac voluntas jecerit, ibidem pacatè quiescere. Quidquid ex te formare, fabricare, celare voluerit, sive regnantem Jovem, sive eloquentem Mercurium, sive ex superiobus, vel inferioribus, ac infimis diis aliquem: sive etiam risui ac ludibrio expositum ardelionem, id ipsum patienter ferre, Divinæ manui sese formandum ad quidvis permittere & offerre.

Vide an ita sis in DEI Providentiam ac Voluntatem resignatus?

PUNCTUM II.

Motiva hujus Resignationis.

Considera motiva hujus Resignationis: & quidem ex his ipsis in hunc lapidem propheticum defixis septem oculis, ac etiam ex suscepta à DEO cura celaturæ ac sculpturæ lapidis ejusdem: *Super lapidem*, inquit, *unum septem oculi. Ego celabo sculpturam ejus.*

Ubi expende primo, neminem ita sibi suoque bono posse esse providum, sicut DEI providentiam. Quis enim melius novit nostras necessitates, utilitates ac indigentias, sicut DEUS, quis tot habet supra se oculos, quot habet DEUS super nos, proindeque quis poterit ita sibi in omnibus prospicere, sicut DEUS illi prospicere potens est? Præterea quis habet tantum unde prospiciat sibi, quantum habet DEUS, ut provideat nobis?

Jam expende secundo, neminem esse, qui ita sibi velit bene, sicut DEUS vult bene nobis: Cùm enim sit bonus supra omne bonum, quomodo nobis malè velle potest.

E contra cùm nos ſimus adeo mali, aut ſaltem ad omne malum proclives, quomodo ſaltem aliquando non poſſimus nobis velle male. Hinc idem DEUS antequam nos vellemus nobis aliquid bene, imo antequam poſſemus velle, jam nobis bene voluit imo optimè, prædeſtinando redimendo creando &c. Præſertim cum nos volendo nobis bene, ſæpius ita decipiamur, ut tunc velimus nobis peſſimè. Quis enim melius ſciat & noſcat aliquid eſſe bonum vel malum, quam qui eſt optimus, & ſimul omniſcius: oppoſito modo hac in parte ſe habente malitia & cæcitate noſtra:

Jam vero eam eſſe noſtram indigentiam, ut etiamſi nobis optimè velimus, non habeamus unde illi ſubveniamus, undeque hanc voluntatem expleamus: Neque id ipſum ſit ſæpe in noſtris manibus, quod volumus. E contra voluntas Divina, quidquid vult, hoc totum intra ſe habet, ut expleat; nec eſt, qui reſiſtat voluntati ejus.

Inſuper quis ſe talem formare, celare, ſculpere poteſt, qualem DEUS rerum omnium potentiſſimus, peritiſſimus ac ſcientiſſimus artifex, qui de nihilo creavit cælum & terram, qui de limo formavit hominem, potens eſt effingere.

Maximè, quod omnis boni, omnium virtutum ultimum ſit reſolutorium voluntas DEI, ita ut neceſſariò ſit bonum, quod DEUS vult, neceſſariò malum, quod DEUS non vult.

Quanta vero ex hac reſignatione, alia emanant bona, quanta merita, quanta præmia, quanta ſolatia, quanta quies in vita, morte, adverſis, proſperis? Ut non omittam, quod ſæpe DEUS impletioni voluntatis ſuæ, etiam in minimo ac reſignationi in eandem, alligare conſueverit ſeriem tot gratiarum ac ipſius ſeriem prædeſtinationis & perſeverantiæ in gratia finalis.

Vide, quisnam in te hac in parte ſenſus, quod experimentum reſignationis hujus ejusque effectuum? Quantao

vero simul hujus ipsius in te obligatio? Utique enim lapis ille dicitur, lapis coram JESU, adeoque symbolum sociorum JESU: cujus igitur major obligatio, quam obligatio militis ac socii ejusdem JESU, ut faciat voluntatem Ducis sui, cum omni resignatione in eandem? Quanquam hoc ipsum est omnium Religiosorum Christo militantium.

PUNCTUM III.

Considera mala & incommoda eorum, qui se suaque suæ providentiæ & voluntati permittunt.

Mala ex defectu Resignationis.

Inprimis enim tales nolendo DEI voluntati se subdere similes sunt illi lapidi, qui se eriperet de manibus celatoris sculptorisque cujuspiam, nec vellet tractari secumque procedi juxta voluntatem artemque ipsius. Quod enim cum tali lapide fieret, idem fit omnino cum illis ipsis.

Secundo, eosdem tales refractarios voluntati Divinæ, dum se illi subdere nolunt, eandem ipsam voluntatem facere & exequi. Nempe nolendo facere voluntatem DEI complacentiæ approbativam suasivam, facere ipsos permissivam: ita ut dum nolunt facere, quod DEUS vult præcipiendo suadendo; hoc ipso faciunt, quod DEUS vult permissive. Atque hunc esse impiorum circuitum idque sine ullo merito, imo magno demerito & pænâ. Juxta illud: *impii in circuitu ambulant.* Qui enim circulum aliquem & sphæram obambulat, dum ab illo puncto à quo incepit cursum recedit, simul ad illud appropinquat ac redit.

Jam vero quot alia talium irresignatorum mala? Illæ tristitiæ, curæ, sollicitudines, angores, perturbationes, inquietudines, absque ullo tam temporali, quàm spirituali solatio: ad hoc pessimi successus; ita ut dum se illi volunt formare Joves, Deastros nescio quos: Faciant se ardeliones ludibrio expositos.

Ut non omittam, quod sæpe interturbent ac abrumpant

pant seriem tot gratiarum, ac ipsius prædestinationis. Quibus omnibus expensis conclude & propone, quod abhinc id solum velis, quod DEUS vult, & quia vult.

Colloquium & affectus: Execrare voluntatem tuam: Amplectere & deoscula manum Divinam paternè te tractantem: Pete gratiam agnoscendæ in omnibus ac explendæ voluntatis Divinæ. Conclude illa oratione: *DEUS cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te suppliciter exoramus ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis pro futura concedas.* Potest adjungi & illa, quæ est in Missa Sabbati post Dominicam I. Quadragesimæ post Commun: *Fideles tuos DEUS benedictio desiderata confirmet, quæ eos & à tua voluntate nunquã faciat discrepare, & tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum &c.* Adde & illam Sancti-Francisci Xaverii ad S. Patrem Ignatium precationem: *Mi Pater in Christi visceribus unice, ego te positis humi genibus suppliciter oro, ut mihi à DEO impetres. &c.*

MEDITATIO XCIII.

De Præsentia DEI ejusque usu.

FUndam: Visio S. Joan: Apoc: 4 *Ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens, & in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Cornel: à Lap: addit, id est: *pellucidum, tranquillum.*

Prælud: 1. Ejusdem visionis imaginatio, cum apprehensione in ea præsentiæ Divinæ usum repræsentari.

Prælud: 2. Pete gratiam semper habendi in mente & animo præsentem DEUM.

PUNCTUM I.

Bona & effectus præsentiæ DEI.

COnsidera in hac visione adumbrari fructus præsentiæ Divinæ.

Unde

Unde enim hujus maris Apocalyptici tantus nitor, tanta puritas, vitrea crystallina perspicuitas, tranquillitas ad prodigium? Procedebant hic de throno fulgura, afflabant venti, nec interim minimum commoveri, sed admodum pacificè quiescere, imo magis magisque componi ad quietem: non hic ullæ maris ludentis inquietudines ac insolentiæ, non elationes, non tumores, non æstus, non fluctus & procellæ, non simulatrices syrenes, non lasciviæ symbola pisciculi, non gladioli, non remoræ, non ad rei cujusvis attactum & viciniam mutantes colorem polypi, non obvium quemque allatrantes, iique prænuntii tempestatum molossi, non cancri retrogradi, non garrulæ obstrepentesque ranæ, non mille balenarum, Tritonum, & aliarum belluarum monstra, nisi forte solorum unionum feracissima patria nidusque pretiosus. Unde inquam hujus ejusdem maris tanta commendatio? Nempe non aliunde quàm à conspectu & præsentia DEI in sede illa Apocalyptica sedentis: *In conspectu*, inquit, *sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.*

Applica hæc omnia & singula ad Religiosos usum præsentiæ Divinæ habentes. Nimirum omnia hinc bona spiritualia fluere, atque etiam totam perfectionem religiosam: Secundum id, quod DEUS ad Abraham: *Ambula coram me, & esto perfectus*: Huc & illud: *Providebam DEUM in conspectu meo semper. Quoniam à dextris est mihi ne commovear.*

PUNCTUM II.

Mala defectu illius.

CONsidera affectus, & damna neglectus præsentiæ Divinæ, & quidem assumpto ex mari fundamento.

Scimus utique qualenam sit, & quomodo se gerat alibi mare. Quos lusus exerceat, quibus inquietudinibus laboret, in quas elationes, tumores, æstus sese exerat, in quos furores, fluctus, procellas, mediocri etiam ventorum afflatu abeat, quot onerarias jactet, exagitet, allidat, dissi-

per, in profundum mergat, quantâ hominum mercimoniorum eaque extremâ jacturâ? Quot ibi Scopuli, Syrtes, Scyllæ, Charibdes? Quot monstra? quàm ipsa ibi malatia & tranquillitas suspecta? Quàm nihil ibi perspicui, nihil crystallini, omnia opaca, turbida, nihil dulce, nihil suave, amara omnia.

Applica hæc singula ad neglectum præsentiæ Divinæ, expendeque omnia hinc mala in vita Religiosa, & quæcunque alia promanare, juxta illud Psaltis: *Non est DEUS in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Vide an similes effectus in te non experiaris?

PUNCTUM III.

Modus effingendæ præsentiæ DEI.

Considera modos effingendæ tibi præsentiæ Divinæ, ac etiam occasiones ejusdem usurpandæ.

Inter hos autem modos, idem ipse in visione prædicta Apocalyptica expressus, usui esse poterit. Ut scilicet tibi imagineris DEUM in sublimi sede Majestatis suæ sedentem, cujus oculi lucidiores sole, abditissima quæque intuitu suo penetrantes; te autem, ipsum, imo totum cum omnibus creaturis mundum velut vitreum & crystallinum in conspectu ejus; ita ut illius oculis nihil opacum esse, nihil eosdem latere, nihil coram eis ne pulvisculus quidem abscondi possit, omnia illis vitrea, pellucida, crystallina: non verba tantum & opera, sed intimi etiam cordium recessus, ac reconditissimæ cogitationes.

Vide, quis in te hujus vel similis imaginationis ac reflexionis usus?

Colloquium & affectus ad Christum crucifixum, petendo ab eodem, ut se ita cordi ac memoriæ tuæ imprimat, ut nunquam illius meminisse non possis, ac simul dolendo, quod toties ejusdem non memineris cum aspiratione: Væ tempori illi quo te non amavi: væ tempori, quo tui non memini.

ME-

MEDITATIO XCIV.

De Conjunctione per orationem & laudem DEI continuam, cum eodem DEO.

FUndamentum Apoc: 4. *Quatuor animalia: singula eorum habebant alas senas, & in circuitu & intus plena sunt oculis, & requiem non habebunt die ac nocte, dicentia sanctus &c.*

Prælud: 1. Imaginatio ejusdem visionis simulque cum apprehensione per illam tibi proponi exemplar conjunctionis cum DEO, per orationem & laudem ejusdem DEI continuam.

Prælud: 2. Pete gratiam ejusdem ipsius cum DEO conjunctionis.

PUNCTUM I.

COnsidera adjuncta prædictorum Apocalypticorum animalium, simulque adverte in illis elucere speciale exemplar conjunctionis cum DEO.

Adjuncta 4. animalium exprimentia conjunctionē cum DEO præfatam.

Inprimis enim dicuntur ibidem *in medio & in circuitu sedis Divinæ* constanter substitisse: quod ipsum specialem illorum cum DEO conjunctionem denotabat. Dicuntur ibidem *habuisse singula alas senas.* Per alas autem intelligimus sublimes affectus eosque varii generis, v.g. adorationis, gratiarum actionis, glorificationis, laudis, amoris DEI &c. quibus in DEum prædicta animalia ferebantur, nosq; ferri debemus in eundem. Præterea dicuntur fuisse *plena oculis & in circuitu & intus:* ex quo se totis per contemplationem ad eundem DEum vertebantur, in omnibusque sive intra se, sive extra se, hunc ipsum, nunquam occlusis aut alio versis ac intortis oculis, oculis inquam internis & externis, hoc est interioribus & exterioribus operationibus spectabant & speculabantur.

 Vide

Vide quid in te simile ?

PUNCTUM II.

Alia adjuncta exprimẽtia eandem conjunctionẽ per orationẽ & laudem DEI continuam.

COnsidera, quod ulterius de iisdem animalibus dicitur : Nempe, quod *requiem non habebant die ac nocte dicentia sanctus, &c* Requiem, inquam à laudando & glorificando DEO ; à qua laude & glorificatione, nunquam cessabant, nunquam quiescebant, cui non dies tantum integros mane, meridiem, vesperam, sed noctes etiam totas impendebant, idque absque ulla interruptione. Hic labor eorum, hæc occupatio ante omnes præcipua erat, absque ulla requie & pausa.

Vide qualis nam in te quoque similis cum DEO conjunctionis usus ?

PUNCTUM III.

Alia item adjuncta exprimentia conjunctionẽ cum DEO in omnibus rebus, ministeriis, actionibus.

COnsidera etsi hæc Apocalyptica animalia fuerant Cherubici Spiritus : uti habemus in Ezechiele : Dicuntur tamen tam hic, quam apud Prophetam animalia, idque ad exprimendas eorum functiones & ministeria, ad quæ à DEO deputata fuerant, eaque non in Cælo tantum, sed in terra etiam inter homines & terrena exercenda : uti de facto exercuerunt apud Ezechielem in devehendo gloriæ Divinæ curru. Unde etiam singulis appicta quadruplex *facies, hominis, aquilæ, leonis, bovis* ; in quibus elucet diversitas ministeriorum & actionum. In qua tamen diversitate, quanta cum DEO conjunctio ! ita ut inter hæc & talia nunquam ab evolando ad illum, ab intuitu & contemplatione ipsius, à laude & glorificatione cessaverint.

Nec vero alia nostræ cum DEO conjunctionis inter quasvis occupationes, labores, obsequia debet esse ratio. Proinde sicut hisce animalibus non fuerant obstaculo tam diversa singulorum, quæ ex DEI deputatione obibant ministe-

nisteria, ita neque nobis quidquam ad idem, ullum impedimentum afferre deberet. Vide quid apud te quoque hac in parte hactenus praxis fuerit? & deinceps futurum sit? Et quia de prædictis animalibus supra dictum est, quod *die ac nocte* non cessabant decantare laudem DEI: per diem autem significatur prosperitas, per noctem adversitas. Hinc neque nobis etiam hoc utrumque deberet esse obstaculo ad prædictam conjunctionem cum DEO, & laudem ipsius, laudem inquam sive in prosperis, sive in adversis.

In Colloquio adjunge te & associa prædictis Cherubicis spiritibus, aliisque quibuscunque Cælitibus, cum illis decantando Trisagion *Sanctus* &c. simulque supplicando iisdem; ut tibi à DEO eam impetrent gratiam, per quam dum vives, semper eidem DEO conjunctus, in continua ejus laude & cultu perseveres, post hanc vero vitam in numerum illorum admissus, idem cum illis Trisagion per totam æternitatem decantes, eundemq; DEum glorifices.

MEDITATIO XCV.

De Immolatione nostri DEO ex toto, seu holocaustifica.

FUndam: Gen: 22. ubi Dominus ad Abraham: *Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.*

Præl: 1. Hujus ipsius imaginatio cum ea apprehensione similem à te immolationem tui requiri.

Præl: 2. Pete gratiam agnoscendi fructus hujus immolationis, illamque DEO exhibendi.

PUN-

PUNCTUM I.

In quo consistat talis Immolatio?

COnsidera primo: Quidnam Abraham DEO immolaturus erat in holocaustum? Nimirum non boves, non arietes, non quidquam aliud, sed suum filium unigenitum Isaac, adeoque in illo omnia sua charissima, omnia pretiosissima, omnes spes, omnia solatia, imo totum id quidquid cogitari potest, juxta illud: quod de Tobia juniore mater ipsius: *Omnia in te uno habentes non debuimus dimittere te.*

Atque hinc agnosce similem debere esse tui immolationem DEO. Nempe inprimis quoad omnia tua, quo ad bona corporis, animi, fortunæ, quoad omnia tibi unice charissima, præsertim famam, honestum, æstimationem, ipsos etiam affectus, amores, amicitias, quas sive aliis testaris, sive easdem experiris ab aliis, juxta id, quod DEUS ad Abraham: *Tolle unigenitum tuum quem diligis.*

Considera secundo, quod idem Abraham in hac immolatione Isaaci, etiam se ipsum immolare debuerit, ac defacto immolarit. Immolarit inquam inprimis memoriam, intellectum, voluntatem, memoriam, dum videretur oblivisci sui ipsius, suorum solatiorum, promissorum divinorum, quæ illi DEUS præstiterat in Isaaco adimplenda: intellectum, subdendo eum totaliter cum suo judicio, imperio DEI, nec discutiendo ullatenus apud se idem imperium: voluntatem, omni promptitudine ad id propendendo quod DEUS voluit, ac sine ulla tergiversatione exequendo quod jussit. Obtulerit præterea vitam suam, qua erat posthumè in Isaaco victurus, obtulerit animam, qua erat in eodem Isaaco amore ac dilectione tenerrima, juxta illud: *Anima ibi magis est ubi amat, quam ubi animat.* Obtulerit corpus & sanguinem. Utique enim quicunque consanguinei, multo magis filii sunt caro & sanguis noster. In his autem obtulerit consequenter pedes, manus, vires, quorum adminiculo ad adimplendum DEI mandatum & ad necem Isaaci ex eodem erat usurus imperio.

rio. Obtulerit cor ipsum ad intimum cordolium, quod erat ex hac ipsa nece percepturus.

Atque hinc expende qualisnam tua etiam debeat esse immolatio: nimirum ut non tantum tua omnia, sed etiam te ipsum ex toto, DEO immoles.

PUNCTUM II.

Modus hujus immolationis

COnsidera quibusnam modis hæc immolatio Isaaci peracta est? videlicet gladio & igne. Per gladium intelligi heroicam abnegationem rerum omnium, & sui ipsius. Per ignem intelligi Amorem DEI ardentissimum, quo religiosus velut igne quodam absumitur totusque DEO cedit in holocaustum nulla sui parte sibi, mundo, creaturis relicta.

Unde non sine mysterio, non alio hic verbo DEUS utitur ad Abraham, quam isto *tolle*. Non dicit macta, occide, trucida, quia scilicet hæc non important omnimodam rei annihilationem & sublationem ex rerum natura, uti importat hoc idem verbum *Tolle*.

Vide an sic totus per abnegationem & amorem DEI te immolaveris eidem, & an aliquid sive tui ipsius, sive tuarum rerum tibimet, aut alicui creaturæ non reservaveris?

PUNCTUM III.

Motiva & fructus talis immolationis

COnsidera obligationem & motiva hujus immolationis.

Ac inprimis expende Religionem plane esse illam terram visionis, illum montem Moria, in quo erat immolandus Isaac, unde de ratione vocationis ac instituti religiosi est, ut se Religiosus quilibet velut alter Isaac, taliter DEO immolet, juxta id quod nobis tot Regulis intimatur, nempe Reg: Summ: 8. & Reg: 9. & Regul. 12. tum aliis Regulis ac Epistolâ Sancti Patris de obedientia.

Nec

Nec verò inde ulla nobis jactura vel damnum, sed imo ingens lucrum, ingens præmium, ut de facto in Isaaci immolatione expertus Abraham. Et ut nobis Regulâ Summ: 19. innuitur. Quanto aliquis se arctius DEO adstrinxerit, & liberaliorem erga summam Majestatem se præstiterit, tanto eum in se liberaliorem experietur. Hinc illud centuplum in hac vita, & post hanc, vita æterna in Evangelio appromissa.

Colloquium & affectus ad Christum crucifixum, qui velut alter Isaac pro nobis totum se immolavit, totum se nostræ saluti impendit, totus igne amoris sui erga nos arsit, similem nostri immolationem ac holocaustum eidem exhibendo, per illam v. g. precatiunculam: *JESU & MARIA amores mei dulcissimi patiar ego, moriar ego amore vestri, totus sim vester, nullus meus, &c.*

MEDITATIO XCVI.

De Tendentia ad Perfectionem & modo tendendi ad eandem.

FUndamentum visio Mardochei per somnium Esth: 10. *Parvus Fons, qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit.*

Prælud: 1. Imaginatio hujus visionis simulque apprehensio; quod per illam exprimatur tendentia prædicta.

Prælud: 2. Pete gratiam tendendi efficaciter ad perfectionem.

PUNCTUM I.

Unde in tendendo ad perfectionem incipiendum?

COnsidera 1mo, unde tendens ad perfectionem incipere debeat? Nempe unde fons incipit: Hic enim inprimis modico admodum & tenui rivulo decurrit, simulque sub-

ſubterraneos ſpecus, in quibus latebat relinquens, in lucem prodit: nec raro ex montibus ad valles defluit. Proinde homini quoque Religioſo ſimilis in tendendo ad perfectionem tenenda ratio: Incipiendum illi non à magnis, ſed à parvis. Tum terreni habitus, appetitus, affectus relinquendi & exuendi. Non in magnis & mirabilibus ambulandum, ſed in declivi humilitatis & humiliationum ſui habitandum. Quæ tibi quoque vide ut applices.

PUNCTUM II.

COnſidera quo tendenti ad perfectionem progrediendum? Nempe quo prædictus fons fuit progreſſus? utique enim ex parvo admodum ſenſim non repente in fluvium crevit. Nec aliter tendentibus ad perfectionem procedendum. Scilicet ne ſubito velint perfectionis culmen tenere, aut ſubito in grandem perfectionem & omnigenas virtutes diffundi: ſenſim hoc peragendum eſt: ut fonti & fluvio ſenſim creſcentibus contingit. Atque ſic ad theſaurizandas ſibi magnas virtutes progrediendum. Progrediendum inquam per modum nunquam ſtagnantis & ſubſiſtentis, ſed ſemper currentis fluvii: progrediendum conſtanter absque ceſſatione & quiete. Et hoc eſt, quod tibi quoque obſervandum eſt.

Quo & quomodo inde procedendũ?

PUNCTUM III.

COnſidera quo tendens ad perfectionem collimare debeat? Nempe eo quo fons præfatus: qui tandem in ſolem converſus: Eoque pariter nobis tendendum eſt; ut ſcilicet non in ſtellas, ſed in ipſos ſoles perfectiſſimæ virtutis & ſanctimoniæ excreſcamus: & quidem in ſoles ſemper in cælo fixos, terram illuſtrantes, nec quidquam de terra trahentes, ſemper igne nativo inextingvibili ardentes, nec ſolum in ſe ipſis claros & illuſtres, ſed in ſoles,

Quo collimandum?

alios quoque illustrantes, sive bonos, sive malos: in soles in DEI ipsius & solius habitaculum electos: & tandem in tales soles, ex quibus aquæ plurimæ promanarunt; id est plurima merita, plurima Ecclesiæ bona, commoda & incrementa, plurimorum ad DEUM, ad Fidem, & Ecclesiam conversio & salus. Quo ut tu quoque collimes vide & stude.

In Colloquio. Supplica Christo Domino, qui *via, veritas & vita* est, ut tibi tendenti ad perfectionem inprimis sit *via*, ne in tendendo à via virtutis devies: sit *veritas*, ne mundi, carnis, diaboli dictaminibus & fallaciis decipiaris, atque sic à veritatibus æternis & rationibus aberres: Sit *vita*, ut soli DEO vivas, nec unquam per peccatum eidem moriaris. Conclude tandem: *Vias tuas Domine demonstra nobis & semitas tuas edoce nos. Utinam dirigantur viæ nostræ ad custodiendas justificationes tuas.*

MEDITATIO XCVII.

De Cælo, illique vitæ perfectæ Religiosæ assimilatione.

FUndam: Visio S. Joannis Apoc: 21. *Ubi descriptio cælestis Jerusalem infra singulis punctis exponenda.*

Prælud: 1. Imaginare tibi cælestem Jerusalem à Sancto Joanne descriptam.

Prælud: 2. Pete gratiam eandem Jerusalem cælestem vitâ religiosâ exprimendi, ut hic & nunc illam habendo velut in imagine expressam, postea re ipsa illius particeps efficiaris.

PUNCTUM I.

Descriptio cælestis Jerusalem in genere.

COnsidera primo in genere descriptam à S. Joanne cælestem Jerusalem: *Vidi*, inquit, *Sanctam Civitatem Jerusalem*

falem novam, descendentem de Cælo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

Ubi expende inprimis, quanta Sanctitas hujus cælestis Jerusalem? tum quod nulli peccato, nulli suggestioni aditus pateat, tum quod ibi omnis cogitabilis sanctimonia resideat ac ipse Sanctus Sanctorum, cum tot multiplicibus Sanctis.

Expende secundo, quomodo sit nova cùm à tot seculis ædificata? Nempe nihil ibi veterascere, nihil corrumpi, nihil primum suum nitorem amittere, ita ut semper omnia nova videantur.

Expende tertio, quid sit illam ad terram descendere: *Vidi*, inquit, *Civitatem Jerusalem descendentem?* nempe id accipiendum esse in eo sensu, in quo Christus dixit: *Appropinquavit in vos Regnum DEI*: vel ut Apostolus: *Regnum DEI intra vos est*: significans videlicet in promptu nobis cælum salutemque æternam esse, facili negotio à nobis comparandam, acsi ipsum cælum ad nos deflueret.

Expende quarto. Quantus ibi ornatus, quanta pulchritudo hujus cælestis Jerusalem, quam exquisita omnia: non aliter quàm dum ornatur Neo-sponsa: quantum fieri potest, omnia tunc sicut nunquam alias exquisitissimè fiunt.

Expende quinto, cælestem civitatem appellari hic Jerusalem, hoc est visionem pacis idque ob profundissimam ibidem & amœnissimam eamque continuam pacem, omnimodamque unionem animorum sine ullo bello, dissidio, violatione mutuæ charitatis.

Quibus expensis applica singula ad vitam Religiosam, ad ejus sanctimoniam, ad novitatem Spiritus & fervoris, ad studium, & amorem salutis animarum, ad ornamenta spiritualia, scilicet dona & gratias supernaturales, nec non exquisitam Religiosi hominis circa animæ suæ ornatum curam & sollicitudinem. Tandemque ad profundissimam status religiosi tranquillitatem unionemque & charitatem mutuam.

PUNCTUM II.

Descriptio Cælestis Jerusalem in particulari.

CONsidera in particulari à Sancto Joanne descriptam cælestem Jerusalem.

Atque expende primo, Civitatem illam *in quadro positam*, & quidem qua proportione, qua venustate, ita ut nihil simile in tota terra inveniri possit. Applica hoc ipsum ad vitam Religiosam, ac per istud quadrum, quatuor virtutes Cardinales intellige. Aut etiam virtutes Theologicas, juxta id quod Haimo, Ansbertus & Pannonius de hac eadem Civitate in quadro posita mysticè intelliguot. Intelligunt inquam Ecclesiam: *Quia est robusta per Fidem, longanimis per Spem, ampla per Charitatem, efficax per operationem.*

Expende secundo, totam hanc Civitatem ac ipsas etiam *plateas ex auro mundo, tanquam vitro pellucido* consistere. Admirare tantam pulchritudinem & nitorem; idque ipsum vitæ Religiosæ accommoda, per aurum illud mundissimum, charitatem nullo inordinato affectu, nullo respectu temporali, nulla devia intentione vitiatam, imo depuratissimam ab omni nævo intelligendo.

Expende tertio, eandem Jerusalem habuisse circa se *murum magnum & altum, structura ejus ex lapide Jaspide & fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioso ornata.* Ubi per hunc murum intellige sublimitatem virtutis ac perfectionis Religiosæ.

Expende quarto hujus Civitatis fuisse *duodecim portas, duodecim margaritas, & in portis Angelos duodecim.* Per has autem portas intellige sive specialiores virtutes ab omni defectu depuratas, sive etiam sensus externos & internos, omni puritate perspicuos singularemque Angelorum custodiam.

Expende quinto, de iisdem portis dici: *Et portæ ejus non claudentur per diem*: Scilicet quod semper lucis diurnæ

plenæ

plenæ, soli æterno & recipiendis ejus radiis ac lumini sint patulæ

Expende tandem & alia, eademque ipsa vitæ & animæ Religiosæ per comparationem appinge.

PUNCTUM III.

Considera hujus cælestis Jerusalem reliqua attributa. *Templum*, inquit, *non vidi in ea: Dominus enim DEUS Omnipotens templum illius est & Agnus.* Ubi expende: Quanta ibi beatitudo ex præsentia DEI Christi, Beatissimæ Matris Quanta beatitudo ex visione eorundem beatifica Applica hoc ipsum ad vitam religiosi hominis, usum præsentiæ Divinæ, & unionis cum DEO continuæ habentis.

Reliqua adjuncta Jerusalem cælestis

Atque hinc ulterius expende, quod à Joanne dicitur: *Nempe, quod Civitas illa non eget sole, neque luna: nam claritas DEI illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.* Idque ipsum Religiosæ vitæ assimila: Nimirum illam longè debere esse ab emendicatis à seculo pompis, splendoribus, vanitatibus, titulis &c. Sed pulchritudine, claritate, splendore virtutis, innocentiæ, gratiæ Divinæ, nec non ipso DEO suo ac Christo perpetuo cordis nostri inquilino, debere contentam.

Tandem vero concludit Joannes: *Quod in cælo abstergEt DEUS omnem lacrymam, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, ac etiam nox non erit illic.* Ubi adverte in hac descriptione typum esse vitæ perfectæ omnibus numeris absolutæ, omni nocte & umbra peccati, omni obnubilatione, obtenebratione mentis & animæ, omni passione, omni perturbatione, dolore &c. vacuæ.

Quibus omnibus expensis ad illud te accinge, ut juxta hanc ideam, tuam quoque vitam Religiosam efformes.

Colloquium & affectus ad Sanctissimam Triadem, ad Christum, ad Beatissimam Parentem, ad Sanctos Cælites, petendo ab iisdem, ut te ad æterna tabernacula post hanc

 vitam

vitam recipiant: Inprimis vero perseverantiam in Religione terrena ac militante, à qua transeas ad Cælestem, largiantur. Hinc etiam affectus desiderii gloriæ cælestis ac præsertim visionis Beatificæ. Conclude aspiratione: *Quam dilecta tabernacula tua Domine, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

MEDITATIO XCVIII.

De gloria & præmio Cælesti.

FUndamentum Apoc: 21. *Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream: ut metiretur civitatem & portas ejus & murum Et Civitas in quadro posita est, & longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo. Et mensus Civitatem per stadia duodecim millia. Et longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia sunt. Et mensus est murum ejus mensura hominis, quæ est Angeli. Et ambulabunt gentes in lumine ejus, & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam &c.*

Prælud: 1. Imaginatio hujus ipsius cum apprehensione hac ipsa visione Apocalyptica, exprimi gloriam & præmium Cæleste Sanctorum.

Præludː 2. Petitio gratiæ à DEO, per quam ad id gloriæ & præmii pervenias.

PUNCTUM I.

Gloria & præmium Cæleste beatorum.

COnsidera prædicto loco gloriam & præmium justorum expressum.

Inprimis enim quoad *mensuram arundineam auream?* Hæc juxta Cornelium à Lap: Cælestis gloriæ mensuram & amplitudinem significat. Quoad Civitatem & locum Beatorum ejusque dimensionem? hujus tanta est magnitudo & vastitas, sive longitudinem, sive latitudinem spectes, ut ju-

xta auctores, terræ totius globum non millies, nec centies millies, sed plus quam decies centies millies superet. Auget vero hoc spatium in quadruplum Alcazar. Unde hic exclamandum cum Baruch cap: 3. *O Israël, quam magna est Domus DEI, & ingens locus possessionis ejus!* Unde colligi potest quantum spatii singuli beati in Cælo occupaturi sunt. Nec oberit illis tanta unius ab alio distantia: ex quo ipsi in Cælo vim visivam habent acutissimam, ut ea quæ maximo spatio fiunt & distant, tam commode & clare videant, quàm nos videamus ea, quæ unius cubiti aguntur distantiâ. Præterea apud eundem Cornelium à Lap: per longitudinem intelligitur æternitas gaudiorum Cælestium; per latitudinem extensio eorundem ad omnia delectabilia, quibus Beati fruuntur, seu objecta de quibus iidem gaudent: per altitudinem tum sublimitas, tum intensio eorundem. Hæc autem æqualia dicuntur, quia æquo tenore semper, id est, in æternum durant. Nota ex Cornelio à Lap. quod sub altitudine contineatur, etiam profunditas quam addit S. Paulus Ephes: 3. uti infra citabitur. Altitudo enim qua altitudo significat sublimitatem felicitatis, & visionis beatificæ: qua vero altitudo profunditatem complectitur, significat intentionem, & immersionem Sanctorum in abyssum Divinorum bonorum, puta sapientiæ, beatitudinis, & gaudiorum Cælestium. Sic ferè & Viegas: *Longitudo*, inquit, *est æternitas*, de qua Psal: 92. *Domum tuam decet Sanctitudo Domine in longitudinem dierum. Huic æqualis est altitudo, id est visio beatifica, qua quasi profunditas & altitudo Divinæ Sapientiæ penetratur. Æqualis etiam est latitudo, id est fruitio, quæ cum summa delectatione conjuncta est, per quam capacitas animæ propter magnitudinem gaudii quasi dilatatur. Æqualis ergo est longitudo, latitudo, & altitudo: quia omnia hæc longitudinem æternitatis adæquabunt.* Unde plane hic verificatur, quod S. Paulus Apostolus 1. Corinth: 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum.*

Hinc vide quodnam in te hujus & tantæ Cælestis glo-

riæ & præmii desiderium ? & quis de eadem gloria sensus ?

PUNCTUM II.

Mensura gloriæ & præmii.

COnsidera 1. eam dimensionem, qua Angelus Civitatem Apocalypticam metiebatur, juxta Interpretes & Doctores apud Cornel: à Lap: citatos, non sumendam esse in physico & literali sensu, sed in mystico: scilicet quod gloria & præmium Cæleste commensuretur virtutibus & meritis justorum. Unde inprimis per *mensuram arundineam auream* intelligi potest Charitas DEI & proximi; quæ quo major est in quocunque hominum, eo illi major gloria & præmium Cæleste correspondet. Et quia per quadrum diximus in præterita meditatione intelligi quatuor virtutes cardinales: hinc etiam, quo hæ in excellentiori gradu inveniuntur, eo majori gloria & præmio in Cælo donantur; Consequenter omnium virtutum ac meritorum sublimitati, longitudini, latitudini, profundo, æquiparatur gloriæ & præmii Cælestis altitudo. longitudo, latitudo, profundum: juxta illud Apostoli ad Ephesios: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Hinc illud: *Eâdem mensurâ, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Item illud Apostoli: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Ad hoc vero, quod Joannes enuntiat: scilicet quod Angelus *mensus est murum mensura hominis, quæ est Angeli,* ait Cornelius à Lap: Eadem mensura metiendam esse tam hominis, quam Angeli beatitudinem & coronam, puta pro magnitudine gratiæ & bonorum actuum tam homini, quàm Angelo dandam esse majorem vel minorem gloriam.

Proinde tu quoque vide quodnam tuis quoque virtutibus & meritis præmium debeatur? An non vero potius qualis tuis demeritis & sceleribus pæna & infernus?

PUN-

PUNCTUM III.

Considera ad quodnam nobis meritum in vita & præmium post mortem in Cælo enitendum? quantumve pro eodem præmio laborandum certandum & sustinendum? *Ad quod meritum & præmium Cæleste enitendum.*

Unde hic expende primo, quod de ea Civitate Divus Joannes: *Et mensus Civitatem per stadia duodecim millia.* Nomen autem stadii (inquit Haymo) indicat cursum & certamen, quibus opus est currere & certare quotidie, ut in illam Civitatem penetremus. Hinc S. Paulus 1. Corinth: 9. *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Idemque de se ipso: *Certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi: In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Hinc etiam adverte, quid facto opus sit illis, qui ad præmium & coronam Cælestem volunt eluctari. Hinc non frustra huic eidem Civitati velut inexpugnabili fortalitio & urbi murus apponitur, & quidem juxta computationem Cornelii à Lap: altus 144 cubitos, id est undequâque altissimus & firmissimus, consequenter non facile expugnabilis nisi ab eximiis heroibus, juxta illud Christi in Evangelio: *Cælum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Expende secundo id, quod jam expensum secundo puncto: scilicet, quod de hoc ipso muro additur à Joanne: *Et mensus est murum ejus mensura hominis, quæ est Angeli.* Per quod illud etiam potest intelligi: quod homo, ut occupet prædictum murum ac Civitatem Cælestem, debeat esse non cujuscunque sanctitatis, sed ejus omnino qua mensuram sanctitatis Angelicæ exæquet: ad eamque cuivis enitendum.

Expende tertio illa verba Apocalyptica: *Et ambulabunt gentes in lumine ejus, & Reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam.* Atque hinc adverte duplicem beatorum in Cælo divisionem & differentiam. Alii enim sunt adinstar gentis & vulgi simplicioris, id est mediocri & vulgari virtute, ac etiam gloria & præmio pollentes. Alii veluti

Reges, scilicet uti excellentiori præ aliis sanctimoniâ ita & gloria Cælesti conspicui. Qualis ille de quo in Psalmo: *Attollite portas principes vestras: & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens in prælio, Dominus Virtutum.* Ad talemque sanctitatem & gloriam aspirandum cuique.

Adverte vero insuper dici de hisce regibus: quod in Cælum *afferent gloriam suam & honorem*, gloriam, inquam & honorem non terrenum, non à terrenis dignitatibus & titulis promanantem: hæ enim dignitates & tituli apud DEUM nihili sunt: sed ab excellenti virtute, meritis, sanctimonia, eaque propria non aliena, quam vera gloria & honor consequitur, juxta illud: *Opera illorum sequuntur illos.*

Potest autem dici, quod ipsa etiam gloria Cælestis sit Sanctorum quodammodo propria, ex quo Sanctis eorum actibus, laboribus, heroicismis, meritis parta ac debita: Nisi quod *momentaneum & leve admodum tribulationis nostræ genus, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Tandem hinc conclude, quo inprimis merito à te quoque comparanda eadem gloria & præmium? scilicet per heroica cum visibilibus & invisibilibus hostibus certamina, per insignes mundi, carnis, diaboli & quarumvis passionum tuique ipsius victorias, per illatam propriæ naturæ violentiam: per constantem in via mandatorum DEI & virtutum cursum, nec non eximium in ipsis profectum: per non qualemcunque sed omnino parem summis spiritibus sanctitatem. Jam ad quam tibi eluctandum gloriam? scilicet non ad aliquam vulgarem, gregariam & communem quibuscunque justis, sed præ aliis excellentem & insignem planeque regiam. Ut sis in Cælo non qualiscunque Sanctus, sed omnino Rex gloriæ.

Vide quisnam in te hac in parte conatus?

In colloquio pete à DEO ut eam gloriam quam per ejus misericordiam & bonitatem speras, per ipsius gratiam me-

merearis. Tum exclama cum Psalte : *Beati, qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem DEI?*

MEDITATIO XCIX.

De Amore & Cultu B MARIÆ V.

FUndam: Visio S Joannis Apoc: 12. *Signum magnum apparuit in Cælo: Mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, in capite ejus corona stellarum duodecim: & in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat: & peperit Filium masculum, & raptus est Filius ejus ad DEUM, & ad thronum ejus.*

Prælud: 1. ordinarium.

Prælud: 2 Pete gratiam tenerrimi erga Beatissimam Parentem affectus.

PUNCTUM I.

COnsidera in hac visione adumbrata esse motiva colendi Beatissimam Virginem.

Motiva colendi B mam ex parte cujuscunque.

Atque expende: Quid aliud esse, *eam sole amictam, lunam sub pedibus ejus, in capite coronam stellarum duodecim*: quàm per hoc ipsum denotari: Dignitatem & excellentiam illius, supremum Dominum cæli & terræ, ex quo supremi planetæ ei famulantur. Denotari umbræ nesciam inter tot splendores puritatem. Designari Maternitatem DEI, omnium in illa donorum, gratiarum & excellentiarum fontem.

Designari innumera in nos Virginis Matris beneficia, & profusissimam liberalitatem. Sicut enim à sole, luna & stellis, tot & tantæ in mundum inferiorem derivantur influen-

fluentiæ, ut quidquid in terra boni & proficui oritur, hoc totum his planetis debeatur. Ita etiam omnia in nos beneficiorum genera, omnium bonorum influxus à Materno Beatissimæ Virginis sinu promanant: siquidem juxta D. Bernardum: *Omnia nos DEUS habere voluit per MARIAM.* Percurre hæc eadem beneficia tibi & aliis abundanter præ stita.

Simulque expende secundo. Per eandem Mulierem Apocalypticam parientem cum dolore & cruciatu, designari Beatissimæ Parentis prærogativam & privilegium, quo nostrum omnium Mater est, ideoque per istum masculum designari humanum genus, quod Beatissima Virgo multa curâ, multa sollicitudine, multo ut ita dicam dolore & cruciatu, DEO, Cælo, æternitati parturit.

Ubi adverte hunc eundem fætum à Muliere Apocalyptica editum, ad DEUM & ad thronum ejus fuisse raptũ. Nempe Beatissimæ quoque Virginis Filios, & quoscunque illa in gremium suæ protectionis recipit, quoscunque sibi filialiter addictos habet, illos non dubiè cælo Regnoque cælesti destinari. Unde speciale signum prædestinationis esse: cultui Beatissimæ Matris esse intimè addictum.

Adverte insuper prædictum fætum Mulieris Apocalypticæ dici Masculum: Quia nempe Beatissima Parens non effæminatos, non imbelles, sed planè masculos, fortes ac robustos adversus mundi & carnis illecebras Filios educat ac fovet: ita ut si quis in ea animi fortitudine deficiat, facile illius in ipso ad hanc Turrim fortissimam recursu compos fiat.

Jam quot alia motiva ad cultum & amorem Beatissimæ Matris nos commoventia? Nempe quanta in eo cultu DEI Filii complacentia? præsertim quod amor & cultus Matris sit cultus Filii. Quantum ejus meritum, quantum præmium?

PUN-

PUNCTUM II.

COnsidera specialia motiva cultus MARIANI ex parte Religionis tuæ, & ex parte tui ipsius.

Motiva specialia colendi B.mam ex parte Religionis tuæ, & tui ipsius.

Quoad primum. Nempe Beatissimam Virginem esse Matrem & singularissimam Protectricem Societatis. Hinc illa apparitio Beatissimæ Sancto Patri post vulnus in crure acceptum decumbenti.

Hinc illa ejusdem S. Patris in monte Serrato ad B. Virginis Imaginem mutatio. Hinc vota à primis Patribus in monte Martyrum in festo Assumptionis primo nuncupata, Professio ad Beatissimæ Iconem in ejus Sacello, in templo Sancti Pauli edita. Quid de constitutionibus Societatis, de exercitiis spiritualibus, quibus conscribendis Beatissima Virgo adstitit. Quid illa Patris Guttierez visio Beatissimæ sub pallio nostram Societatem foventis? Nec vero minora cujuscunque Religionis colendi Beatissimam motiva, uti facile cuicunq; Religioso patere poterit.

Jam quoad te? reflecte te, cui debeas tuam ad Religionẽ vocationem, ingressum ad eandem, successus in vita Religiosa, in doctrinis, & innumera sane beneficia. Hisque tot motivis perpensis, ad amorem & cultum Beatissimæ Matris, quam ardentissimum te accende.

PUNCTUM III.

COnsidera industrias & modos colendi Beatissimam Matrem, illumque esse præcipuum expende. Nempe imitationem Beatissimæ Virginis.

Industriæ & modi colendi Beatissimam.

Percurre hic vitam & virtutes illius ad earumque imitationem te accinge. Hic juvabit locus S. Ambrosii lib: 2. de Virginibus : *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaque MARIÆ, de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis: quid corrigere,*

rigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius DEI Matre? Quid splendidius ea? quàm splendor elegit. Quid castius eâ, quæ corpus sine corporis contagione generavit. Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone: arbitrum mentis solita non hominem sed DEUM quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit Parentes? quando dissensit à propinquis, quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? Eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis protax, nihil in actu inverecundum non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis &c.

Colloquium & affectus ad Beatissimam: gratias illi agendo pro omnibus beneficiis, gratiis, protectionibus. Tum petendo, ut eum affectum erga te in vita & morte continuet, semperque se tibi Matrem exhibeat. Conclude: *Salve Regina Mater misericordiæ.*

MEDITATIO C.

Concludens Exercitia Spiritualia.

FUndamentum: Visio illa in Spiritu Cant: 6. & 8. Visio, inquam, animæ sanctæ donis spiritualibus ornatæ: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum: quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Prælud:

Præludium: 1. consuetum.

Prælud: 2. Pete gratiam agnoscendi status tui, in quo egrederis ex deserto exercitiorum spiritualium conservandique eum spiritum ac religiositatem, quàm his iisdem exercitiis accumulasti, tum ea perficiendi, quæ apud te statuisti.

PUNCTUM I.

COnsidera ea visione adumbrari animam Religiosam de deserto spiritualium exercitiorum prodeuntem.

Reflexio super profectū in via purgativa.

Atque inprimis expende per auroram tenebras noctis fugantem ac triumphantem, intelligi viam purgativam. Vide quomodo in hoc tractu profeceris, qualiter extirpationi defectuum, passionum, pravorum habituum: tum etiam studio virtutum huic viæ convenientium incubueris? qualiter obstaculis in via hac occurrentibus obviaveris?

PUNCTUM II.

COnsidera per lunam mundum de nocte illuminantem intelligi viam illuminativam. Vide quem profectum & fructum spiritualem, tum etiam quale virtutum huic viæ servientium augmentum retuleris? quosve modos eas augendi collegeris?

Reflexio super profectū in via illuminativa.

PUNCTUM III.

COnsidera per solem, ejusque lucem adultam intelligi viam unitivam: vide quo hic profectu, quo lucro virtutum ad hanc viam pertinentium versatus fueris? quave provisione in futurum?

Reflexio super profectū in via unitiva, tum super alia.

Tum etiam expende per castrorum aciem ordinatam intelligi armaturam & supellectilem spiritualem, industrias, praxes, superandi tentationes, habitus vitiosos, passiones &c.

&c. Industrias recte vivendi & moriendi. Coordinationem actionum, mortificationum, devotionum, actuum, & quarumcunque privatarum consuetudinum, ac denique totius vitæ Religiosæ, & ita quidem, ut sic comparatus Religiosus ipsi inferno evadat terribilis. Vide quomodo in istis etiam, te comparaveris, eaque accumulaveris pro usibus in vita & morte ?

Colloquium & affectus ad S. Spiritum, ad Beatissimam Parentem, ad S. Patrem Ignatium, aliosque Patronos, quos tibi pro tempore exercitiorum assumpseras: gratias inprimis agendo pro omnibus gratiis, inspirationibus, luminibus per id temporis, tibi concessis : tum petendo ulteriorem gratiam hæc omnia ad exitum deducendi, quæ his exercitiis proposuisti, iisque utendi ad perfectionem & salutem tuam, quæ accumulasti, cum aspiratione : *Qui dedisti velle, da & perficere.* vel : *Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis.* vel : *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.*

Ad M. D. Gloriam.



IN-



INDEX MEDITATIONUM.

ME-

ME-

ME-

186

MEDITATIO LXXVI.

MEDITATIO LXXVII.

MEDITATIO LXXVIII.

MEDITATIO LXXIX.

MEDITATIO LXXX.

MEDITATIO LXXXI.

MEDITATIO LXXXII.

MEDITATIO LXXXIII.

MEDITATIO LXXXIV.

MEDITATIO LXXXV.

MEDITATIO LXXXVI.

MEDITATIO LXXXVII.

MEDITATIO LXXXVIII.

ME-

FINIS.

300.-
K



D № 365760

